DE
COLICA EIVSQVE
SPECIEBVS

CONSENSV
FACVLTATIS MEDICAE GOTTINGENSIS
PRO
GRADV DOCTORIS
MEDICINAE ET CHIRVRGIAE
QVAEDAM DISSERIT

AVCTOR
CAROL. CHRISTOPH. ROBERT.
SIEMERLING
STRELIZO-MEGAPOLITANVS.

D. IV. AVG. MDCCLXXVIII.

GOTTINGAE,
Litteris IO. CHRISTIAN. DIETERICH
ACAD. TYPOGR.

---

§. I.

Notio colicae, quatenus ſiſtit morborum genus.

Colicam dolorem ſpaſticum inteſtinorum dico, talem vero, qui peculiari ſedi in his ipſis, ſiue tenuibus, ſiue craſſis, adſtringi nequeat. Quod ſi quis miretur, me non modo HIPPOCRATIS et recentiorum etiam illuſtrium ſcriptorum auctoritatem ſequi, ſed argumentis quoque niti ſciat. Raro enim, aut fere nunquam partem eam inteſtinorum, in qua cauſſa latet doloris, ſine periculo erroris, definire licet. Totus nimirum morbus, ſiue in tenuibus, ſiue craſſis haereat, vnus ſemper idemque eſt; irritamentum quippe quoddam inteſtina vexat, et ſpaſmos et dolores excitat, et inde eadem quoque medela eſſe ſolet, quocunque inteſtini loco dolores affligant. Perinde fida non ſunt, quae vulgo afferuntur, ſigna ad diſcernendos inteſtini tenuis et craſſi affectus; partim quod variat inteſtinorum ſitus, partim vero, quod minus accurate dolorum ſedem aegri determinant, partim denique, quod et reliqua inteſtina, vbi horum quoddam grauius adficitur, niſi ſtatim ab initio, certe in decurſu morbi in conſortium dolorum perducuntur. Addas alio ſubinde loco aegros dolorem percepiſſe in inteſtinis, et aliam, remotiorem etiam, ipſius ſedem, cadaueris deinde ſectionem declaraſſe. Satis vel haec ipſa ſententiam tuentur meam. Pluribus iam confirmauit eam argumentis GESNER, *Vir Celeb.* a). Mihi igitur ad vnicum morborum genus iterum referre liceat, quae poſt *Coi*

ſenis

a) Vid. Joh. Purcell von der Kolik. Mit Anmerkungen deutſch herausgegeben von Joh. Aug. Phil. Geſner. Nördlingen, 1775. 8. In notis primis huic libro a Cel. Viro adſperſis.

ſenis tempora ſeparatae ſunt, colicam et iliacam paſſionem, ideoque ſub titulo colicae, ſiquidem huiusce nominis deriuationem a graeco vocabulo χολαξεσθαι vt vno optimo fonte proficiſci velis, dolores comprehendere inteſtinorum, aeque tenuium ac craſſorum, excepto tamen inteſtino recto, cuius quippe affectus varias ob cauſſas ſatis patent, ac ſemper diſtingui poſſunt.

§. II.

Ileum non differre a colica, probatur.

Quid? quod ne ipſum quidem ileum hic excludo. Nec ſolummodo affirmo, eum non peculiarem tenuium inteſtinorum morbum eſſe, ſed in craſſis quoque perinde haerere poſſe, id quod vnusquisque facile largietur, cum innumera exempla abunde hoc declarant, *b*) et ipſa etiam pathognomonica eius ſymptomata, obſtructio nempe pertinaciſſima alui, et fecum inprimis formatarum cum vomitu reiectio, ſine vitio craſſorum inteſtinorum cogitari nequeunt; ſed ſtatuo etiam, ſine quodam argumentorum robore vtrisque his ſymptomatibus colici doloris peculiaris morborum generis nomen tributum eſſe. Hoc ſcilicet argumenta, quae ſequuntur, docent. Variae materiales ilei cauſſae ratione originis, ſedis et effectuum eaedem ſunt, ac iſtae, quae diuerſas colicae ſpecies generare valent. Deinde et cauſſa proxima in colica et ileo nihil differt, vtpote quam in inteſtini ſpaſmo, ab irritamento producto, vnusquisque ponet, qui nempe ſpaſmus praeter obſtructionem, modo dolorem, modo cum dolore motum etiam antiperiſtalticum excitare valet; indeque porro quaeuis colicae ſpecies in ileum tranſire poteſt; quemadmodum et quisque ileus cum doloribus colicis incipere ſolet. *c*) Denique indicationes praecipuae ad curandum ileum plane conueniunt cum iis, quae ad curandam colicam formantur; auertenda ſcilicet in vtroque morbo eſt inflammatio, et ſpaſmi ſopiendi ſunt, ad quae, veluti in praelectione mea vberius demonſtrabo, medici magis debent attendere, quam ad tollendas obſtructiones alui pertinaces. Poſtre-

b) Vid. Sauvages Noſol. method. T. III. P. II. p. 116. et quidem 4, 5, 11. ſpeciem ilei.

c) De exceptione quadam, quae hic locum obtineat, infra differam.

Poſtremo etiam ipſa ſigna diagnoſtica, quibus tanquam peculiare morborum genus, ileus a cognatis morbis diſtingui poſſe exiſtimatur, non ſatis certa fidaque ſunt. Ex his vero hoc fluere argumentis credo, ileum modo gradum maiorem colicae habendum eſſe.

§. III.

Argumenta diſſentientium enarrantur.

Neque tamen et hic valere reor tritum iſtud: ſtet pro ratione voluntas; et propterea argumenta etiam diſſentientium placet adducere, ne ſtudioſe haec ſilentio praeteriiſſe, ideoque iniquus huius rei iudex videar. Quare primo ſtatim loco exponam, quomodo nuperrime iam *Clar.* SAGAR *d*) ileum definiat. Is vero, „ileum, inquit, „gaſtrodynia, obſtipatio, anxietas et vomitus feculentae materiae determinant: atrocia circa vmbilicum tormina, ructus, nauſea, ſingultus, inteſtinorum volutatio, virium proſtratio, pertinax alui obſtipatio et vomitus demum feculentus ſunt ſymptomata principalia huius morbi.„ Gaſtrodynia itaque, peculiare morborum genus, quod ſecundum propriam definitionem *Clar.* SAGAR et notabili genere doloris, et ſitu magni huius viſceris fixo ſemper a reliquis diſtingui poſſe dicitur, hic in claſſe quadam morborum, in qua ſedes morbi fundamentum diuiſionis ſiſtit, iuxta quod ordines et genera conſtituuntur, hic, inquam, character diſtinctiuus alius generis morborum traditur. Anne vero eodem iure huic et colica adſcribi poſſet, cum nemo facile negabit, quod ſi ſedes irritamenti ſit in ileo, colon aeque facile in conſenſum perduci poſſit, ac ventriculus, ſi iſtud in duodeno ſedem figat? Hic quidem opponi poſſet, quod tamen expeditum non eſt, colicam raro in vero ileo notatam, gaſtrodyniam vero valde ſolennem eſſe in hoc morbo; at nihil hoc probat, niſi quod hi bini morbi ſaepius coniuncti ſint. Num licet propterea, inprimis ſecundum ſupra expoſitum fundamentum diuiſionis, alteram affectionem characterem perpetuum alterius habere? cui quidem ſententiae nequaquam poſſum accedere.

 §. IV.

d) Syſtema morborum ſymptomaticum etc. Vindob. 1776. 8. p. 317.

§. IV.
Continuatio.

Id vero in formanda notione hac communi pridem ante *Cl.* SAGAR perſpexit *Illuſtr.* SAVVAGES, quippe qui nec gaſtrodyniam characterem ilei poſuit, nec alui adſtrictae in definitione colicae mentionem fecit. Mitto igitur nunc reliqua enarrata ſymptomata, cuius generis ſunt anxietas, atrocia circa vmbilicum tormina, ructus, nauſea, ſingultus, inteſtinorum volutatio, et virium proſtratio; cum nemo facile, qui aut colicam nouerit, aut citata GESNERI ad PVRCELLI librum additamenta velit legere, dubitabit, haec omnia, et ſingula, et coniuncta etiam in vehementiori colica occurrere; et reliqua bina modo pondero ſymptomata, quae quidem iam *Illuſtr.* SAVVAGES proprios huius morbi characteres agnouit, obſtipationem ſcilicet alui pertinaciſſimam et vomitionem ſub finem ſtercoream, quibus exceptis nulla re vera reſtant, ſi aliquando, quae pro ileo militarent, idonea argumenta inuenirentur. Notionem igitur ilei ſumma ſiſteret adſtrictio alui, tranſiens demum in vomitum feculentum. Iam vero probare debeo, vtrosque characteres, ſingulos pariter, ac coniunctos, et in colica quandoque praeſto eſſe. Ac primum quidem quod obſtructionem alui attinet, plane nullum eſt dubium, cum valde ſolenne ſymptoma, plerasque colicae ſpecies comitetur, vt propterea etiam ipſe Cel. SAGAR huius in definitione colicae mentionem faciat. Sed dicet forſan aliquis, hic non ita pertinacem alui obſtructionem intelligi, qualis ſit, quae characterem ilei ſiſtat; at vel hanc obiectionem vnicum colicae ſaturninae exemplum tollit. Ac ſi quis etiam tunc obiiceret, propterea hanc ad rachialgiam relatam eſſe, reponerem maxime, id ſine ſufficiente quadam ratione factam eſſe, quemadmodum infra fuſius demonſtrabo. Idem etiam de vomitu feculento valet. Namque iam a priori nihil occurrit, quod impediat, quominus in tam varie affligentibus, tamque grauibus irritamentis et ſpaſmis, qui in colicis notantur, motus periſtalticus nunc ad naturalem, nunc vero ad praeternaturalem directionem inclinari poſſit. Verum etiam exempla notata ſunt, vbi experientia docuit, id omnino quandoque contingere. Ileus nimirum verminoſus ab Illuſtr. SAVVAGES obſeruatus, abunde hoc declarat. Is quippe:

„ado-

„adoleſcentula, inquit, „vermibus affecta, cuncta reiiciebat per os, cum materiebus acidis verminoſis, (quas quidem haud dubie etiam feces ſequutae forent, niſi naturali via exturbatae eſſent) ita vt ad ileum magis, quam ad aliud quoduis genus hic morbus accederet; interea aluus libera erat, non pertinaciter adſtricta.„ Quod ad vltimum demum ſpectat, ſupra iam a me expoſitum eſt, fere vnamquamque grauiorem colicam, inprimis ſi intacta ſibi ipſi relicta ſit, aut praua curatione in peius mutata, ad tantam vehementiam peruenire poſſe. *e*) Sed placet et hoc loco propria Cel. SAVVAGES verba adducere: „mulier, inquit, ilei calculoſi hiſtoriam ex D. CHAPTAL obſeruatione referens," poſt dolores abdominis et alui conſtipationem in ileum incidit, feculentas materias per triduum vomuit etc. Pari modo, immo etiam clarius de ileo a fecibus induratis diſſerit SAGAR. Verba eius ſunt: „hunc ileum praecedit colica ſtercoracea cum obſtipatione diuturna, grauitate abdominis, tenſione cum vomitione pituitoſo-biliosa, his dein ſeſe adiungunt ructus et vomitus ſtercoreus".

§. V.

Continuatio.

Nihil igitur proprii habet ileus, niſi quod ſit ſummus gradus colicae, et quod haec colica, ſi iſtud vehementiae culmen attigerit, non equidem peculiarem, quemadmodum paullo ante iam expoſui, ſed ad ſummum efficaciorem tantummodo, promtioremque curationem poſtulet. Porro non ignoro, quod quisquam fortaſſe obiiciet, ileum quandoque aegros repente et ſine praeuiis diutinis doloribus colicis inuadere, et ſtatim in initio cum ſumma vehementia adfligere; quid vero hoc probat, niſi quod cauſſa praeſens, quae, ſi leuior eſſet, colicam modo excitaret, hic ſtatim ab initio tam valida ſit, vt ſummum colicae gradum, ileum producat? Quid, inquam, inde colligi poterit, praeter id,

quod

e) Exemplum colicae, quae a cauſſis exiguis, leuiori nimirum animi pathemate, et vitio in diaeta commiſſo oborta erat, ſub legitima tamen medela, inſignem vehementiam acquiſiuerat, vbi et fumus herbae Nicotianae per anum immiſſus, per os demum redditus eſt, memoriae prodidit Cel. QUARIN in method. med. inflamm. p. 196. ſeq.

quod hic morbus ſtadium primum quaſi tranſiliat? et tamen cenſeo, dolorem ſpaſticum inteſtinorum ſemper etiam in hoc caſu primum ſignum, primumque diagnoſticum ſymptoma, quod morbum nobis declaret, eſſe debere. Ac denique, quid hoc nobis vtilitatis afferet, quod ileum morbum peculiarem habeamus? intuitu emolumenti, quod partitiones ac diſtributiones morborum cunctae promittunt, vt ſcilicet ſtatim ſub initiis morborum cognoſcamus, quinam ſint? et deinde, quomodo ſecundum propriam indolem recte curandi ſint? Namque quod deinde, morbo aut cum morte finito, aut feliciter ſanato, poſſimus dicere, aeger ex ileo, vel ex ſummo gradu colicae, mortuus eſt, aut conualuit, hoc mihi quidem nullius plane momenti videtur. Vndenam praeuidere poſſumus, praeſentem aluinam obſtructionem tam grauem fore, vt ilei characterem poſſit ſiſtere? Num hoc ipſum vllo modo curationem mutabit? Numne indicationes ſemper eaedem manebunt, ſiue ileus repente, ſiue poſt praegreſſos dolores colicos obortus ſit? Iure igitur me affirmare poſſe arbitror, ileum nihil eſſe praeter ſummum gradum colicae, qui quidem iſtud nomen retinere, neutiquam tamen peculiare morborum genus, inprimis ſecundum ſupra enarratum fundamentum diuiſionis, haberi poſſit.

§. VI.

Num obſtructio alui genus ſummum morborum ſit?

Quodſi vero ſecundum b. LVDWIGII ſententiam alui obſtructio, cuius ſine dubio ileus ſummus gradus eſt, pro peculiari morborum genere poneretur? Omnino ileus tunc, quod facile largior, idoneo quodam loco poſitus eſſet; verum enim vero quid certi demum hac in re afferunt, quae memoriae prodidit vir, dum viueret, celeberr. verba: „de his, quippe inquit, (obſtructionibus nempe alui, quae nondum ileum intulerunt) „cum paſſim in antecedentibus dictum fuerit, noua tractatio non proponenda eſt;" *f*) id eſt, nunquam obſtructio alui ſola affligit, ſed ſymptoma modo alius morbi eſſe ſolet, et inprimis colicarum, vel potius, licet complurium affectionum cauſſa remotior exiſtat,

f) Vid. Ei. Inſtitutiones medicinae clinicae §. 907.

ſtat, tamen ſi hae affectiones non conſequuntur, quod non raro inprimis in ſequiori ſexu ſolet contingere, tunc nullam functionum laeſionem infert, ideoque morborum potius fons, quam morbus ipſe, obſtructio haberi poteſt. Praeterea quod ad cauſſas memoratas ilei (§. 909.) attinet, num hae poterunt alio modo agere, quam quod prius colicam excitent, quam obſtructionem alui pertinacem, ileum inferentem, commoueant? Haec, quae modo expoſui, confirmat etiam ſententia LINNAEI, *g*) qui, „medici, inquit, „aſſiduo curant obſtipationem, et tamen hanc nec in numero morborum tolerant; equidem raro eſt morbus per ſe, ſaepiſſime vero ſymptoma hoc alios morbos comitatur et auget."

§. VII.

Ambitus colicae altera ex parte limitandus.

Ex iſta vero, quam exhibui, colicae definitione illud facile perſpicietur, me omnes reliquas imi ventris partes, quas Cel. PVRCELL admittit, peritonaeum ſcilicet, ventriculum, capſulas ſuprarenales, vterum, pancreas, lienem, hepar hic excludere, et cum Cel. SAVVAGESIO, LINNAEO, VOGELIO, SAGARIO etc. gaſtrodyniam, hepatalgiam, ſplenalgiam, hyſteralgiam, rachialgiam etc. peculiaria morborum genera habere, quae partim propter ſitum harum partium fixum, partim propter alia ex tota morbi hiſtoria deſumta ſigna *h*) nunquam non cognoſci poſſunt. Quanquam enim Cel. SAVVAGES, cum inteſtinum, ait, tenue et craſſum diuerſas ſedes occupet, et diuerſis viſceribus abdominis contiguum ſit, difficile eſſe, ex ſenſu aegrotantis partem affectam determinare, et errare in hac aſſignanda, quotidianum eſſe; tamen certo hos morbos colica dignoſcere licebit, ſi hae partes ſolae affectae ſunt; et tunc modo, ſi morbus ſit complicatus, vbi ob vicinitatem partium et inteſtina afficiuntur, ac colica ſympathica praeſto eſt, diagnoſis ſedis cauſſae materialis difficilior erit, vt mirum etiam nemini videri debeat, quod GALENVS *i*) ingenue fateatur, ſe ipſum in colica ne-

g) Vid. Sagar l. c. pag. 405.

h) Vberius haec ſigna expoſuerunt C. C. H. SCHLEIERMACHER, diſſ. de doloribus inteſtinorum, qui vulgo vocantur colici. Gieſſae, 1736. et I. A. WEDEL diſſ. de Colica, Ienae, 1739.

i) Lib. II. de loc. adf. Cap. 5, 6.

nephritica deceptum fuiſſe, et TRALLIANVS *k*) teſtetur, nonnunquam etiam eruditiſſimos medicos in diſcernenda nephritica laborare. Ex his omnibus igitur, vt denuo repetamus, facile cognoſcetur, ſatis ſubeſſe cauſſae, vt ſaltem adhuc paſſionem iliacam et colicam haud ſeparemus, ne ſupra expoſitas, et nondum plane diſcuſſas difficultates augeamus.

§. VIII.

Ex altera vero parte iterum augendus eſt.

Non ſine ratione vero altera ex parte ſtatuo, plerasque ſpecies, quas ASTRVC primo, ac deinde SAVVAGES et SAGAR ad genus morborum, rachialgiam retulerunt, iure meritoque veterem locum inter colicas tueri poſſe. Nam, ne hoc quidem memorem, etiam in aliis colicae ſpeciebus eadem grauia ſymptomata, quae hoc inprimis genus diſtinguere creduntur, notari poſſe, et quandoque re vera notata eſſe; contra eos haec praeſertim, et grauia quidem argumenta pugnant. Cauſſa nempe materialis horum morborum ſedem ſemper figit in inteſtinis; ac in his effectum primum eadem exſerit; et inde primum quoque ſymptoma, quo ſeſe produnt hi morbi, dolor colicus eſt, et in decurſu demum, ſi chronicae hae colicae in alterum quaſi ſtadium tranſeunt, vt inferius pluribus oſtendam, ſymptomata haec grauia occurrunt; quam ob rem et princeps curatio maxime inteſtina reſpicit. Tandem quoque videtur modo nimius generis colicarum ambitus eos commouiſſe, vt de ſeparandis his eiusdem ſpeciebus cogitarent; et ipſe quoque Ill. SAVVAGES *l*) ingenue fatetur, theoriam ASTRVCIANAM nondum ſatis eſſe confirmatam. Tametſi vero hoc incommodi quicquam adferre, facile concedam, tamen id ipſum, praecipue cum idonea colicarum partitione valde leuari poſſit, non ita comparatum eſt, vt vi eas propterea dirimere nos cogat.

§. IX.

k) Lib. X. Cap. I.

l) l. c. T. III. P. I. p. 196.

§. IX.

Indoles ſpaſmorum colicae.

Reſtat, vt pauca definitioni illuſtrandae addamus, nempe ea, quae indolem et rationem ſpaſmi, tales procreantis dolores, magis definiunt. Maxime vero ſolenne id genus ſpaſmorum eſt, quod coarctat et conſtringit fibras, et ſi canalem quendam ex his conflatum corripit, hunc ipſum anguſtiorem reddit. Quandoque tamen et ſpaſmi inflatiui affligunt v. c. in tympanite. In colica vtrumque ſpaſmorum genus occurrere videtur; ſpaſmi enim coarctantes non tantos cruciatus gignere poſſe videntur, ſed fibrae ſine dubio etiam extenduntur, vt vel hac de cauſſa plane inutile diſcrimen *m*) inter colicas, in quibus inteſtina diſtendantur, et inter eas, in quibus ſpaſtice conſtringantur, prorſus corruat, vt et olim tradita definitio colicae adfectionis, quod nimirum ſit ſpaſtica inteſtinorum cum exquiſitis illorum doloribus coniuncta contractio, locum amplius obtinere nequeat.

§. X.

Decurſus morbi.

Itaque totus inteſtinorum tractus, inde a duodeno ad finem coli vsque, ſubiectum ac ſedes doloris colici, agnoſcendus eſt. Is autem hunc fere decurſum ſeruat. Segnities et languor quidam ventriculi, qui inprimis poſt aſſumtos cibos ſentiri ſolet, vel etiam aliae inſuetae ſenſationes prodromi eſſe ſolent, quos deinde dolor colicus excipere conſueuit. Is modo vehementior, modo leuior eſt, et per paroxyſmos quaſi aegrotum fatigat. Sic etiam dolor iſte nunc in toto imo ventre, nunc in parte modo quadam eius regionis, qua inteſtina ſunt repoſita, ſentitur; nunc quoque interdum fixus non eſt, ſed in loca alia ex aliis transmigrat; quandoque etiam inſtar tympani abdomen inflat, ita quidem, vt ruptura eius metuenda videatur; quandoque vero iſtud ad vertebras vsque conſtringendo retrahit. Intuitu ſenſationis propriae aegroti dolor

m) Vid. G. A. LANGGVTH D. de diuerſa colicam curandi methodo. Vit. 1762.

dolor iſte ſecundum diuerſas cauſſas valde differt, quin etiam oppoſitas non raro formas induit, quarum quidem inter alios Cl. PVRCELL optimum catalogum exhibuit, cum explicatione doloris quadam ſententiae ſuae de origine doloris conſentanea. *n*) Quod ſi his adduntur notae quaedam a PVRCELLO aliisque traditae, ratione qualitatis doloris, reliquorumque ſymptomatum, quae inteſtina vere laborare declarant, et tandem iſtorum abſentia ſignorum, quae a ſupra memoratis ſyſtematicis, et auctoribus aliis ad diagnoſin gaſtrodyniae, ſplenalgiae etc. referuntur, quippe quae iterum partim a qualitate doloris, partim ab aliis momentis pendent; tunc quidem nobis ad manus ſunt pauca generalia et diagnoſtica ſigna, quae diagnoſi formandae colicae inſeruiunt. Cum enim, vt ſupra dictum eſt, cauſſae colicae, ſicuti morborum fere omnium valde differant, variaeque omnino ſint, ad formationem vero notionis generalis, quae omnibus ſubiectis reſpondeat ſpeciebus, pauciſſima modo momenta relinqui poſſint, ſi hae ſpecies ſibi valde ſint diſſimiles; facile intelligitur, me hic etiam iisdem premi, et lubentiſſime fateor, ipſas a me traditas notas fere omnes vnam vel aliquot ſpecies magis cognatas reſpicere, ita quidem, vt ſi quis hoc acriori ſubiiciat iudicio, nihil pro charactere generico relinquatur, quam dolor ſpaſticus inteſtinorum. Vnicuique tamen ſimul etiam occurret, collectionem quandam minus conſtantium ſymptomatum, quae in multifariis ſpeciebus colicarum deprehenduntur, quae vero ſemper vni tantummodo alteriue harum propria ſunt, nimis magnam eſſe debere, et quidem non ſolum, licet praeſertim, propter multifarias vario modo agentes cauſſas, ſed etiam ob magnam inteſtinorum ſenſibilitatem et varium arctumque eorum cum aliis viſceribus totoque adeo corpore commercium. Meum nunc quidem eſſet, haec enarrare ſymptomata et diiudicare; cum vero alterum partim nimis longum eſſet, partim a Cl. PVRCELL *o*) fuſe et fere ad amuſſim praeſtitum ſit, ſicuti etiam explicatio originis ſymptomatum in colica vehementiori, tentata a M. BRVCKNER *p*) et potiſſimum paralyſeos a S. B. F. IOHN; *q*) et tandem vnusquisque in artis medi-

n) l. c. Sect. II.

o) l. c. Sect. II.

p) Vid. Ei. diſſ. de pareſi in colica grauiori auertenda, Duisburgi ad Rhen. 1763.

q) Vid. Diſſ. de imperfecta paralyſi ſiue pareſi ex colica, Halae 1761.

medicae praeceptis bene imbutus, ſibi facile eorum originem explicare poſſit; nemo hoc quidem mihi vitio vertet, ſi ipſorum modo indicem hic propoſuero. Verum tamen frequentiora et pleriſque ſpeciebus communia, a rarioribus et vni modo alterique ſpeciei propriis ſeparabo, eademque etiam iſto ordine proſequar, quo quidem ſub increſcente morbi vi ſeſe excipere conſueuerunt.

§. XI.

Symptomata colicarum enarrantur.

In pleriſque vero colicae ſpeciebus abdomen contractum, et inteſtina coarctata eſſe ſolent, excepta tamen colica flatulenta, ſub qua in immenſum ſubinde abdomen expanſum conſpicitur. In quamplurimis pulſus etiam paruus, durus, et ſpaſtico modo contractus notari ſolet, vnde quidem variae pendent corporis alterationes, cordis nimirum palpitatio, horror, tremor totius corporis, et praecipue artuum, ſudor frigidus, et quae frequentiſſime praeſto ſunt, extremitates gelidae, immo mortuis quandoque ſimiles aegri ſunt, dum pulſus plane deficit. Hoc notiſſimum in morbis abdominalibus ſignum eſt, vehementiam eorum ſignificans, et non ſine probabilitate maxima ſpaſmo in morbis inflammatoriis abdominis, vt in tranſitu hoc moneam, pulſus ille paruus adſcribitur. Plerumque etiam haec comitari ſolent ſymptomata, anxietas praecordiorum, inquietudo, vigiliae, reſpiratio cita, quae modo plus, modo minus affligunt, et tamen vel haec omnia ſpaſtica ſunt, quae iam in hypochondriacis a flatibus accumulatis notantur, eoque facilius hic a ſpaſmo tam vehementi proficiſci poſſunt. In colica tamen flatulenta etiam preſſio diaphragmatis ab abdomine expanſo non parum conferet. Sic enim refert FR. HOFFMANNVS *r*) colicas flatulentas, per aliquod temporis ſpatium durantes, ſaepius excipere pleuritides et peripneumonias, cum dolores, ſpaſmi et flatus liberam diaphragmatis actionem impediant; — et ita aliqua ex parte, vt is ait, iuſtum ſanguinis tranſitum per viſcera abdominis intercipiant, quibus nimia eius copia in pulmones, pleuram caeteraque impellitur. Frequen-

r) Vid. Opera Geneuae 1748. fol. Tom. IV. Conſult. Cent. II. Sect. III. Caſ. XIII.

quentiſſime porro aluus obſtipata et praecipue in initio firmiter clauſa eſt, ita quidem, vt facile perſpiciatur, quomodo ſub plane denegata alui excretione abdomen quandoque mirum in modum intumeſcere poſſit. At non raro etiam diarrhoea parca cum murmuris et borborygmis ventris, cum vehementiſſimis inteſtinorum torminibus, immo cum teneſmo praeſto eſt. Creberrime quoque vrina pauca ſub frequenti ad excernendum ſtimulo, cum ardore et ſtranguria redditur, et potiſſimum tunc ſaturate tincta, nec non ſpumoſa deprehenditur. Rarius vero, viis vrinariis in doloris conſenſum tractis, in totum ſupprimitur. Nonnunquam autem libere ſecedit, nec aliquid praeternaturale oſtendit. Appetitus vero ciborum ſaepiſſime plane deficit, et ructus, nauſea, cardialgia ſingultusque affligunt, et ſub capitis doloribus, ſiti intenſa et vomituritionibus crebris non raro verus ſuccedit vomitus, quo initio aſſumta, deinde bilis et pituita viſcida, vel etiam cruditates aliae, quid? quod ſanguis et tandem male foetentes vel iam formatae feces reiiciuntur. Tunc etiam obſtructio alui pertinaciſſima, et fortaſſis etiam, cum totius primarum viarum canalis motu antiperiſtaltico, paralyſis oboritur valuulae BAVHINI, *s*) ita quidem, vt mirari quis non debeat, qua ratione feces in craſſa inteſtina iam delatae, quin etiam clyſmata et ſuppoſitoria per os iterum eliminari potuerint, quemadmodum Cel. GORTER, *t*) GAVBIVS *u*) aliique obſeruarunt. Is igitur tranſitus colicae in ileum eſſe ſolet.

§. XII.

Euentus morbi.

Morbus ſibi permiſſus, et ſecundum nunc intrans ſtadium duplici exitu plerumque terminatur. Namque vel propius ad naturam acuti morbi accedit, et tunc inflammatio inteſtinorum ſubito incrementa capit, et tantam quidem vehementiam conſequitur, vt aut apoſtema generenere-

s) Aliam explicationem nobis ſuggerit caſus ab ANT. DE HAEN notatus tympanitici voluulo defuncti, in quo coli, coeci ileique diameter adeo auctus fuit, vt valuula BAVHINI ne tertiam quidem aperturae partem tegeret.

t) Vid. Prax. med. ſyſtem. p. 216.

u) Conf. Inſtitut. pathol. medicinal. p. 440.

neretur, quod HILDANVS Centur. II. Obſ. LXXII. quondam notauit aut gangraena mortem acceleret, et vitae ſcenam ſequenti ratione claudat. Dolores quippe ſubito ceſſant, abdomen molleſcit, aeger quietior redditur, et ſponte nunc aluum deponit, et per aliquas horas bene ſe habet; mox vero pulſus intermittit, foetidiſſima diarrhoea oboritur, ſumma derepente laſſitudine aeger adfligitur, et ea tandem moritur ratione, qua, qui ſphacelo corripiuntur, ſolent decedere. Vel etiam character huius aegritudinis indolis magis eſt chronicae, et tunc ad vniuerſum fere ſyſtema neruorum ſeſe diffundit ſpaſmus, et ſub innumeris ac multifariis ſymptomatibus et maximis cruciatibus lentam nunc mortem adfert. Ex his vero ſymptomatibus haec potiſſimum relata leguntur in medicorum ſcriptis. Alui obſtructio pertinacior redditur, dum anus in peluis cauitatem retractus et eiusdem ſphincter valide clauſus eſt. Dolor ille etiam inteſtinorum characteriſticus, exquiſitiſſimus ſcilicet atque atrociſſimus aegrum vexat, cum contractione abdominis, inteſtinorum contorſionibus, voluulis ac ileo pertinaciſſimo. Ad genitalia ſpaſmo translato vel ſatyriaſis oritur, vel penis intra abdomen abſconditur, teſticuli conuulſis cremaſteribus retrahuntur, et conſtrictis vna ſpaſmodice veſiculis ſeminalibus ſemen inuoluntarie excernitur; vrinae vero plenaria ſuppreſſio adeſſe ſolet. In abdomine vel hernia oritur, vel in hydropem morbus in cachecticis plerumque tranſit, vel icterus ſuperueniens totum corpus oculorumque albumen colore ſuo aeruginoſo ac obſcoeno induit. Flatulenta colica inprimis intulit tympanitem, ſanguinea vomitum cruentum, et plures ſpecies ob eminentiam quaſi ſpaſticae olim dictae ac conuulſiuae paralyſin non raro excitarunt inteſtinorum, non veram quidem, ſed eam tamen, quae vſitato in ſcholis medicis nomine pareſis appellata eſt; quin etiam inteſtinum colon plane ruptum obſeruauit HENRICVS AB HEER. *w*) Quod pectus attinet et interdum dyſpnoea cum ſtrangulatione faucium, animi deliquium, ac ſputum ſanguinolentum, nonnunquam etiam tuſſis violenta ſicca obſeruata ſunt. Tandem quoque caput vel ex ſpaſmis ad illud vſque tendentibus, vel ſanguine ad idem appulſo afficitur. Facies apparet rubicunda, vel pallida et male colorata; agrypniae vexant,

 ſumma

w) Similes obſeruationes aliorum auctorum collegit Ill. SAVVAGES Noſol. method. T. III. P. II. pag. 119.

ſumma virium proſtratio et vitae ſatietas, vel deliria, vt et vehementiſſimi capitis dolores, gutta ſerena, melancholia et mania, immo apoplexia, tetanus et epilepſia aegrotum affligunt. Duplicatum aliquando viſum inde ortum, THONERVS refert in obſeruat. et BAGLIVIVS aphoniam, vocem raucam, per totum fere morbi decurſum durantem ſub bilioſa frequenter oriri annotauit. Denique ad extremitates quoque, tam ſuperiores, quam inferiores haud raro ſpaſmus ſe extendit, et inde conuulſiones pariter ac contracturae, nec non paralyſes et membrorum reſolutiones naſcuntur; immo vt quidam cenſent, humor viſcidus acris, a vaſculis inteſtinalibus reſorptus, ad articulationes et perioſtia defertur, id quod dolores arguere dicuntur arthritici et podagrici. Item tophi ad metacarpum inde orti, annotati reperiuntur, et nuperrime Cel. CHALMER *x*) dolorem quam maxime ardentem, vix ferendum in plantis pedum ex hac cauſſa natum annotauit.

§. XIII.
Cauſſae colicae.

Quo meliorem ſeruem ordinem in exponenda notione vniuerſali huius generis morborum, opus nunc quidem eſſet, vt res omnes eas fuſe tradam, quas experientia et obſeruatio ſatis idoneas gignendae colicae declararunt. Cum vero omnes colicas iuxta ſedem cauſſarum materialium in duas acies diſponere, animum induxi, ac deinde in ponendis ſpeciebus ipſe quoque axioma ſtatuo: quot ſunt cauſſae, tot ſpecies colicae numerantur; vel iam quidem reſpectu huius cauſſarum indicis Lectores ad ſequentem ſpecierum enarrationem delegare poſſum, quo ſcilicet conſilio iniucunda earundem rerum repetitione ſuperſedeo, quod propterea exoptatum mihi eſt, cum temporis breuitate vela contrahere cogar. Quin etiam hac de cauſſa iſtud mihi placuit, quod mihi confirmaueram, tradita diuiſione et diſpoſitione ſpecierum colicae fore, vt cauſſarum index, inde tunc facile colligendus, magis pateat, quam nunc quidem, cum harum nudum modo catalogum, niſi vel ordinem in ſpeciebus pertractandis turbare, vel etiam easdem res ſaepius repetere

x) Account of the weather and diſeaſes of South-Carolina, Tom. II.

tere voluiſſem, proponere debuiſſem. Prius vero, quam hoc argumentum plane relinquam, quandoquidem deinde opportuna nulla ſeſe offerat occaſio, monendum eſſe cenſeo, vt facilius vniuerſus cauſſarum colicae multifariarum ambitus poſſit perſpici, fere nullum cauſſarum praediſponentium pariter, ac occaſionalium genus reperiri in pathologicis propoſitum praeceptis, quod minus idoneum videri poſſet, generandae colicae; id quod ſine dubio magnae inprimis inteſtinorum ſenſilitati adſcribendum eſt, vt et ſimplici huius morbi indoli, iuxta quam irritamento quodam excitatus inteſtinorum dolor ſpaſticus totam eius notionem ſiſtat.

§. XIV.
Prognoſis generalis.

Pauca iam de prognoſi formanda, quae pars medicinae nobiliſſima videtur, et nonnulla etiam de magis communibus therapiae praeceptis, variis colicae ſpeciebus accommodandis, proferam; ſed pauca dixi ſtudio, quoniam, quae maxima eſt, ſpecierum varietas, multa determinare et conſtituere vetat. Quanquam itaque ratione doloris in vniuerſum colica mortem non ſoleat adferre, ſed plus potius moleſtiae, quam periculi creet, ſalutis tamen et mortis praedictio affectum hunc ſiſtit ſatis grauem, immo quandoque grauiſſimum, ac ob vehementiam ſymptomatum, quae ob teneram et perquam ſenſilem inteſtinorum ſtructuram, nec non ob conſenſum neruorum, quem qui ad inteſtina accedunt, nerui cum toto fere neruorum ſyſtemate alunt, facile commouentur, ſaepe tam acerbum, vt quos exagitat, mori plerumque malint, quam diutius cum eo conflictari. Ac propterea nonnunquam quoque aegros iugulat morbus, non equidem ob immitem naturam ſuam, ſed reſpectu morborum et ſymptomatum, aut coniunctorum aut ſuperuenientium, aut ſubſequentium. Minus igitur periculoſum ſtatum aegri hoc morbo correpti pronunciare poterimus, ſi dolor nondum ſit acutiſſimus, ac plane intolerabilis, nec continuo affligat, ſed diſtinctas remiſſiones formet, quin etiam nonnunquam plane intermittat; ſi vno loco non firmiter fixus ſit, ſed libere inteſtina peruagetur; et, vt paucis exponam, ſi morbus quaſi adhuc in primo ſtadio verſetur,

excre-

excretiones nondum plane impeditae, ſaltem clyſtere iniecto flatus, excrementa, pituita vel alia contenta facile et cum notabili leuamine eliminentur, et donec vomitus feculentus nondum praeſto ſit, vel feces ouilli ſtercoris inſtar in globulos contortae, aut veluti ſtercus bubulum aliquantulum ſpumoſae atque aquae innatantes excernantur. Hoc enim paralyſin, illud vero conuulſionem et criſpaturam inteſtini iam praeſentem indicat, vbi nec ipſa aluus laxa ſemper tuta, niſi aeger levamen ſentiat et reliqua in eo conſpirent ſymptomata; tandem dum nullum adhuc grauium eorum ſymptomatum, quae ſecundum morbi ſtadium diſtinguere retuli, ſentiatur, nec augeat malum pernicioſa eius in morbos periculoſiſſimos ſimiliter ſupra recenſitos transformatio. His omnibus modo enarratis plus paullo ponderis accedet, ſi morbus e cauſſa manifeſta ſolitaria, facile corrigenda aut arcenda, v. c. ex erroribus ſolum leuioribus in diaeta commiſſis natus ſit, ſique homines aetate iuuenili florentes corripiat, quibus roboris ſatis ſit, et vbi nulla cachexia, vel cacochymia maligna, aut viſcerum aliquod vitium lateat. Plus paullo periculi extimeſcendum erit, ſi infantes, grauidas, puerperas, ſenes aliisque morbis exhauſtos et viribus deſtitutos morbus exerceat.

§. XV.
Continuatio.

Laetiorem ſpem affulgere, intuitu medelae, ſi vna modo ſpecies colicae et ſola adſit, quam ſi plures copulentur, facile vnusquisque concedet, nec huius quidem rei mentionem hic iniicerem, quoniam cunctis fere morbis hoc commune eſt, niſi hoc loco ſimul notare vellem, quod rariſſime vna harum ſola affligat, et ipſae quoque conſenſuales colicae fere nunquam ſolitariae exiſtant. Quemadmodum enim cruditates variae bilioſae aliaeque in his admodum frequentes ſunt, ita quoque perpetuus quaſi reliquarum colicarum comes eſt ſpaſmus, et ſubinde quoque dolor vnius vel alterius viſceris aut partis cuiusdam vicinae, in quibus tamen colicam ſedem figere negaui. Ac ſubinde etiam, et facile quidem, cauſſa alterius ſpeciei colicae cauſſam alterius generat, ſi ſcilicet diutius commoretur; hae v. c. non raro origines ſunt colicae flatulentae ex pituitoſa vel ſtercorea. Colica vehemens facile diſpoſitionem

nem relinquit, quae deinde plures iterum inferre ſolet, et quo ſaepius aegrum iam vexauit, eo facilius plerumque redit; i. e. iteratae ac frequentes huius morbi acceſſiones facile in conſuetudinem et habitum abeunt, et a quacunque etſi leuiori reuocantur cauſſa. Ratione quaeſtionis, num ſexus potior vel ſequior magis huic morbo ſit expoſitus, vt eius hic in tranſitu modo mentionem faciam, iam ipſe docet auctorum diſſenſus, hic nihil in vniuerſum determinari poſſe, dum eorum ſententiae ſemper vnam alteramque colicae ſpeciem reſpiciant. Denique quod reliquam prognoſis partem, quae ex cauſſis, temporis et euentus ratione petitur, attinet, eam infra, vbi ſpecies enarrabo, tradam.

§. XVI.

Therapia generalis.

Ad curationem denique doloris colici generalem dum accedo, paucis me expedire poſſum, cum ſolummodo claſſes medicamentorum determinandae ſint. Haec quidem generalis omnibusque ſpeciebus colicae communis medendi methodus, nititur potiſſimum tribus indicationibus, quae quidem ſequentes ſunt. Prima in auertenda inflammatione occupatur; in omnibus nimirum colicis inflammatio et gangraena metuenda eſt, ſi diu aegrotos detinent, et iſto modo eos plerumque iugulant. Quare ſi vllo modo inflammationis ſigna appareant, ſanguis protinus mittendus eſt. Hac in re egregie conſentit mecum HVXHAM, *y*) cuius verba ſunt; „Vbi ſaeuit abdominis dolor vehemens, fixus, pulſans et acris calor adeſt, pulſusque velox et tenſus; non protinus exhibenda ſunt acria cathartica: quo plus enim proceditur, draſtica vrgendo pharmaca, eo vehementius furit morbus, donec ſupervenit tandem ileos crudelis, ſphacelusque demum lethalis. Sed ante omnia ſanguis mittendus eſt, nec parce nimis: poſt enim aluus vel leni reſpondebit cathartico, obſerata ſecus validiſſimo." Iam vero in quibusdam colicae ſpeciebus venaeſectionem ſpeciatim indicari, facile intelligitur, nec huc pertinet. Secundo, ſpaſmi mitigandi ſunt, quo nempe

y) Vid. Ei. Opera phyſ. med. edit. REICHEL. T. I. p. 77.

nempe conſilio et alui reſeratio, et irritamenti remotio facilitatur, et omnibus ſupra memoratis grauioribus ſymptomatibus obuiam itur. Tertio, cauſſa materialis, vel irritamentum, qualecumque ſit, quod totius morbi cauſſa haberi debet, quod ſpaſmos et dolores excitauit, remouendum, vel certe obtundendum eſt. Ratione ſecundae et vltimae indicationis remediorum genus quoddam ars ſalutaris ſuppetit, quod apprime conducit, quoniam breuiſſima via, cito et plane immutatum ad partes laborantes penetrat, quod etiam in omnibus colicae ſpeciebus, licet tunc ſemper ratione virium ſuarum cauſſae praeſenti accommodatum eſſe debeat, quocunque colicarum tempore, et vario etiam conſilio, ſummo cum emolumento adhiberi poteſt. Tale ſiſtunt ſanitatis praeſidium clyſteres, quorum vtilitas tanta eſt, vt ſubinde fere ſoli omnem curationis paginam abſoluant. Hoc vero loco de ſpecificis dici plane non poſſe, facile ex cauſſarum differentia intelligetur. Contra illa iam quoque diſputauit C. G. GROTE, z) quem adire poſſunt, qui ſpecificorum vanitatem et in hoc morborum genere velint probatam legere. Si quis tamen deſideret medicamentum, quod in omnibus colicarum ſpeciebus non ſine vtilitate adhiberi poſſit, licet in multis morbo debellando ſolum par non ſit, aliquo modo ſpecifici nomen mereretur chamomilla, quemadmodum BAGLIVIVS a) olim iam docuit.

§. XVII.
Variae colicarum diuiſiones.

At nunc quidem, quoniam ad ſpecies colicae enarrandas tota ſe conuertit oratio, prius de variis colicarum diuiſionibus pauca verba facienda ſunt. Qua vero ratione alia morborum genera late patentia a viris in ſalutari arte celeberrimis illuſtrata ſunt, hac etiam variae colicae ſpecies determinatae ſunt. Colicarum quippe genus vario modo conſideratum eſt, donec momenta quaedam inuenirentur, ſecundum quae in ſuas diſcerpi ſpecies poſſet. Ex his vero, omiſſis quibusdam minus memorabilibus, ſequentes inprimis notari poſſunt. I. Iuxta externum cor-

z) Vid. Ei. Diſſ. de colica. Halae, 1762. §. 5.

a) In libr. I. Cap. IX. pag. 100.

corporis habitum diuiſae colicae ſunt in *ſpaſmodicas* et *flatulentas*, prout ſcilicet abdomen aut inflatum, aut ſpaſtice conſtrictum eſſet. Quod autem hoc, intuitu inteſtinorum veritati non ſit conſentaneum, ſupra iam dictum eſt. Quando vero de externo abdominis habitu in colica praeſente ſermo ſit, admitti hoc quidem poteſt, licet deinde nomina non ſatis accommodata ſint, cum nemo inficias ire poſſit, etiam in illis ſpeciebus, quae ad flatulentam relatae ſunt, ſpaſmum praeſto eſſe. Ac inde etiam patebit, iſtos magis etiam a vero deflexiſſe, qui flatulentas alio nomine, *non ſpaſmodicarum* inſignirent, facileque intelligitur, hunc errorem inde originem duxiſſe, quod alteram ſpaſmorum claſſem, ſpaſmos nimirum inflatiuos ignorauerint, et quemque ſpaſmum partis affectae conſtrictionem habuerint. II. Pro varia inteſtinorum parte, quam occupat morbus, ſiue ratione ſubiecti principalis, in *paſſionem iliacam* et *colicam* diuidi ſolet. Quoniam vero hac de re ſupra iam expoſui, pluribusque tradidi, quid de hac diuiſione ſentiendum ſit, nunc quidem ad haec Lectores delego. III. Pro ipſa ſedis doloris diuerſitate, dum nimirum vel alicui loco firmiter inhaeret dolor, vel ex parte inteſtinorum in aliam tranſit, iterum diſpeſci ſolet colica in *definitam* et *non definitam*. IV. Quod denique impetum et durationem dolorum attinet, tres inprimis ſpecies colicae notari ſolent. Colica ſcilicet vel eſt *continens*, quae quippe continuo affligit, vel *remittens*, ſiue intermiſſiones ſuas habet, haeque iterum vel certo adſtrictae tempori, vbi colica tunc periodos iuſtas format, et *periodica* dicitur, vel iſtae certo non ſe adſtringunt tempori, et colicam irregulariter decurrentem ſiſtunt. V. Ratione gradus cruciatuum diſtinguitur *leuiter ſpaſtica* et *conuulſiua* colica; et pro ſymptomatum diuerſitate et atrocitate, praeter ſupra iam expoſitam, licet alio tum reſpectu conſideratam differentiam inter paſſionem iliacam et colicam, cui hic tertia ſpecies, tormina, adiicitur, quas tres diuerſi gradus motus antiperiſtaltici diſtinguere creduntur, hoc loco inprimis celeberrima omnium, colica ſic dicta Pictonum tanquam ſpecies ob ſymptomatum grauitatem a reliquis omnibus plane ſeparanda, proponi ſolet. Quo id iure fiat, aut poſſit fieri, deinde videbimus. VI. Pro indole et more praeſentis morbi reſpectu effectuum, quos in aegrum ipſum exerere ſolet, colica nunc alia dicitur *benigna*, nunc alia vero *maligna*. VII. Ratione decurſus et durationis morbi alia eſt *acuta*

et *breuis*, alia *chronica* et *longa;* et eodem reſpectu *recens* vel *inueterata.* VIII. Tandem colica etiam iuxta impetum inuaſionis, quo aut complures homines vno tempore, aut paucos ſeparatim, aut plures vna modo in regione corripit, in *epidemicam*, *ſporadicam* atque *endemiam* diuidi ſolet. Tres vltimo loco enarratae partitiones in multis aliis morbis valde ſolennes ſunt, et adeo quidem notae, vt vberiori explicatione non egeant.

§. XVIII.

Continuatio.

Cunctae vero hae partitiones, tametſi ita comparatae ſint, vt medicus eas plane ignorare non debeat, parum tamen curationem ipſam colicarum illuſtrant, vel ſi etiam nonnihil lucis iſti afferant, hoc inde tunc pendet maxime, quod cauſſis materialibus antea eruendis nituntur. Maximum enim ſanationis momentum in cauſſarum morbi cognitione et remotione poſitum eſſe, docuit iam HIPPOCRATES. *b*) Enimuero optimo conſilio et ſummo cum emolumento, intuitu medelae, vt plane confido, in diſponendis colicae ſpeciebus cauſſae, quas agnoſcunt, materiales pro fundamento diuiſionis ſeligi poſſunt, quia hac ex methodo ſimul curationis ratio patet, id quod magnopere optarunt conſequi in morborum claſſificatione occupati auctores. Atque in inſigni ſpecierum copia operam hic perquam facilem nobis reddemus, ſi iuxta ſedem cauſſae materialis totum colicarum genus in binas partes diſpeſcuerimus. Quodſi ſcilicet ſtimulus ille, ſpaſmos et inde dolores producens, in inteſtinis ipſis, inque tunicis vel cauitate illorum ſedem ſuam figat, colica haec cum materie, vbi curatio maxime verſus inteſtina ipſa debet dirigi, *vera*, *idiopathica*, ſiue *primaria* ſalutanda erit. Sin vero alius partis morbus ſubſit primarius, qui in decurſu ſolummodo conſenſus lege inteſtina afficiat, ita quidem, vt colica nullo modo alio tolli poſſit, niſi morbus iſte tollatur, tunc quidem colicam ſine materie adeſſe aſſerimus, et *ſympathicam*, *ſymptomaticam*, ſiue *conſenſualem* appellamus. Hoc autem vltro Lectores ex ſupra dictis in memoriam reuocabunt, diuiſiones exquiſitarum colicarum, quarum omnino numerus in-

b) In libr. de flatibus.

inſignis eſt, iterum valde adiuuari poſſe, ſi iſtas colicas, quarum cauſſa modo in tunicis inteſtinorum haeret, et potiſſimum circulationis ope eo defertur, ab iſtis ſeparemus, quarum materialis cauſſa in cauitatibus eorum figitur. Nos quoque hunc praeſertim ſequemur ordinem in exponendis colicae ſpeciebus, et quidem ita, vt quasdam ſpecies colicarum primi ordinis, quae quaſi auxiliari quadam cauſſa, in cauitate inteſtinorum repoſita indigent ad colicam excitandam, vt et ſpecies nonnullas colicarum ſecundi ordinis, quarum cauſae alias in cauitate ſitae ſunt, interdum vero etiam in inteſtinorum tunicis haerere poſſunt, in medio vtrarumque exquiſitae colicae ſpecierum, ad viam pro tranſitu facilitandam, poſituri ſimus. Si quis vero mallet, alia etiam ratione exquiſitas poſſet colicas diuidere, in tales quippe, vbi materialis cauſa inde a prima origine in inteſtinis haeſit, et in eas, vbi antea partem quamdam corporis aliam tenuit, in qua nimirum aut iuxta leges naturae haerere debet, aut morbum pariter iam excitauit, nunc vero metaſtatice in inteſtina delata eſt. Verum propero nunc ad partem alteram, quae ſpecies doloris colici ſiſtit.

§. XIX.

I. Colica ſanguinea.

Incognita, vt videtur, veteribus haec ſpecies colicae a ſanguine oritur nimis ad inteſtinorum vaſa congeſto et perquam ſenſiles eorum tunicas moleſte afficiente. Impetus igitur hic, quem facillime minimorum ſequitur vaſorum ſanguiferorum inflammatoria obſtructio, ſolus producit colicam, ſpaſmi nimirum inde oriuntur, et humorum celerior vehementiorque inducitur circulus, vnde et frequentiſſime in hac ſpecie febriles notantur motus. Diaeta lauta cum vita otioſa et ſedentaria, vini inprimis generoſioris, nec non aloeticorum aliorumque acrium calidorum inconcinnus et frequentior vſus, venaeſectiones porro aliaeque ſanguinis artificiales euacuationes iam conſuetae, ſaepius vero neglectae aut turbatae, frigoris tandem balneique gelidi iniuriis corpus, inprimis aeſtuans, expoſitum, et alia plethoram tam vniuerſalem, quam partialem inteſtinorum inducentia ad hunc morbum praecipue diſponunt. Tunc vero potiſſimum morbus exoritur, ſi vel cauſſae

hae

hae enarratae praediſponentes aut omnes, aut ex parte praeſto ſunt, vnaque inteſtina valde affligunt, vel praecipue dum ſanguis, tam lochialis, quam menſtrualis et haemorrhoidalis ob tranſitum liberum in illis partibus impeditum maiori mole pariter ac vehementia verſus inteſtina regurgitat, vel a febris denique vehementia viſcidus inflammatorius et forſan etiam acris ſanguis, intra parum reſiſtentia vaſa ſanguifera inteſtinorum protruditur. Generatim, reſpectu nempe indolis doloris, colicae ſanguineae diagnoſin ſequentia formant ſymptomata. Dolor fixus magis ac conſtans acutiſſimus, in aliqua abdominis parte haeret et inprimis cum ardoris ſenſu ſine intermiſſione iunctus eſt; pulſus ſubinde quoque in eodem loco affecto interne percipitur, eiusdem circumſcripta externa regio aliquantulum tumida et chordae inſtar tenſae durior exiſtit, nec compreſſionem ſine incremento doloris admittit. Manifeſtae vero et euidentes ſupra expoſitae cauſſae occaſionales, iuxta quarum diſcrimen quinque huius ſpeciei determinabimus varietates, tandem extra omnem dubitationem diagnoſin ponunt. Cunctis quidem, vti iam relatum eſt, hoc familiare eſt, quod febrem facile commoueant, et quintae adeo varietati febris praecurrit, et cauſae colicae remotior exiſtit. Quodſi igitur in primis quatuor varietatibus cauſſa occaſionalis non ſolito ſit vehementior, et morbus in primo adhuc ſtadio verſatur, nec peruerſa medela in peius ruit, decurſum fere ſeruant chronicum, ſub quo modo paulo ante tradita ſymptomata, et cauſſa euidens occaſionalis de colicae ſanguineae praeſentia nos certiores reddunt. Quodſi vero iam febris acceſſit, vel propter nimiam regurgitationis vehementiam, vel quia morbus diu iam durauit, vel quia peruerſa curatio adhibita eſt, ſymptomata febri, cum inflammatione inteſtinorum coniunctae, propria, omnem morbi genium nobis declarabunt. Ne vero haec citra neceſſitatem repetere cogamur, ad quintam varietatem, cui nimirum magis propria ſunt, Lectores delegamus. Caetera, hae colicae perniciosiſſimae ſunt, facileque in acutos affectus commutantur. Quandoque iam intra nychthemerum et inflammatio et gangraena oboriuntur. Pro diuerſitate igitur remotae cauſae ſequentes, nunc ſeorſim pertractandae, oriuntur varietates.

§. XX.

§. XX.

1. *Col. ſangu. plethorica.*

Plethorica, quae prima mihi eſt, iſta ſanguinea colica haud dubie dicenda erit, quae plerumque in plethoricis, ex ſupra recenſitis cauſis praediſponentibus, ſanguine, accedente cauſa aliqua externa, commoto et in inteſtinis iuſto copioſius accumulato, et propterea in illis locis ſtagnante producitur, in qua nulla porro ad haemorrhoides diſpoſitio praeſto eſt, nullus ſanguinis fluxus conſuetus cohibitus vel ſuppreſſus, vel alia ſanguinis excretio critica ſuppreſſa, vel retropulſa in culpa eſt. In pluribus inde ſubiectis et in alia etiam aetate, quam quae iſtis ſanguinis fluxibus obnoxia, fere ſine vllo diſcrimine obſeruatur. Hinc etiam quandoque endemia eſt, et certis regionibus admodum familiaris, id quod FR. HOFFMANNVS *c*) annotauit. Quod itaque ipſi peculiare cenſendum eſt; in eo quidem vertitur, quod remota quadam cauſa auxiliari ſeu concurrente indigeat, v. c. leuiori diaetae vitio, aut contuſione leuiori, quae tamen manifeſto tanti momenti non eſt, vt ſola eiusmodi colicam excitare valeat, hoc tamen efficere poſſit, vt ſanguis iam redundans orgaſticus reddatur, et ſpeciatim ad inteſtinorum vaſa determinetur.

§. XXI.

2. *Col. ſangu. lochialis.*

Facilis hac quidem in colicae ſpecie diagnoſis eſt, cum modo intra decem dierum ſpatium poſt partum oriri ſoleat, et ſi notetur, ſtatim appareat, lochia parce et non rite fluere, vel plane ſuppreſſa eſſe. Sola regurgitatio lochiorum ſuppreſſorum aut cohibitorum ceu cauſa occaſionalis plane ſufficit, excitandae vehementiſſimae colicae, quoniam in partu iamiam diſpoſitio quaedam inducitur, quaeque interdum tam malae indolis eſt, vt intra viginti quatuor horarum ſpatium gangraenam inferat. Primo nimirum ſanguis puerperarum ad omnem corruptelam putredinoſam procliuis eſt ob ſtaſin, et acris, quare etiam fere

c) Vid. Ei. Med. Rat. Syſt. T. IV. P. II. Sect. II. Cap. 5.

fere omnes puerperarum morbi putridae indolis ſunt; ſecundo, ſaepe et fere ſemper ſordes in primis viis earum colliguntur. Omnis vero huius generis colluuies poſt partum ſoluitur, quare etiam gangraena in iſtis inteſtinis, in quibus haec colluuies haerere ſolet, facile oboritur. Intuitu vehementiae morbi, quae in eligendis vel lenioribus, vel efficacioribus remediis medici conſilium debet dirigere, triplex potiſſimum ratio notari ſolet; id quod in binis quoque ſubſequentibus varietatibus locum obtinere poteſt. Lochia enim vel adhuc quidem, ſed parcius, fluunt, et colica leuior eſt, ceſſat interdum et mox reuertitur; vel ceſſant iam, et colica continuo, paullulumque iam grauior praeſto eſt; vel denique plane ſuppreſſa ſunt, et colica atrociſſima eſt, iamque per viginti quatuor durauit horas.

§. XXII.

3. 4. *C. S. catamenialis et haemorrhoidalis.*

Menſium et haemorrhoidum vitia duplici modo colicas excitare valent. Hae quippe aut ſymptoma modo habendae ſunt, conſenſus lege ortum, a menſibus et haemorrhoidibus tarde fluentibus, et ſtipatae ſunt ſpaſticis aliis ſymptomatibus, quae moliminum fluxus vtriusque nomine comprehenduntur, et tunc huc minime pertinent, ſed ad colicas ſpurias, in quarum catalogo deinde etiam enarrabuntur. Vel etiam vterque fluxus plane ſuppreſſus eſt, et vera ſanguinis regurgitatio ad inteſtina contigit, et colicas excitauit. Hae modo colicae ſanguineae nomen merentur, et hoc loco enarrandae ſunt. In vtrisque diagnoſis nullis premitur difficultatibus. Sequitur enim colica vtrumque fluxum ſuppreſſum, quod ſubito aliquando ſit, vt homines ſani repente tali colico dolore corripiantur. His etiam in colicis inflammatio et febris valde pertimeſcendae ſunt, inprimis ſi ſuppreſſio ſubito, ſemel et ſimul facta eſt; non tantopere tamen, ſi ſenſim ſenſimque fluere deſinunt; et in vtroque modo iterum magnopere, ſi plethora ac corpus validum ac robuſtum adſit, minus vero, ſi corpus laxum ac infirmum, ſanguisque vapidus inersque ſit.

§. XXIII.

§. XXIII.

5. *Col. ſangu. inflammatoria.*

Hanc ſpeciei huius varietatem inter reliquas, tanquam ſummum earum gradum, tunc ſcilicet, vbi febrem et inflammationem intulerunt, pertractari potuiſſe, ingenue fateor. Cum vero cauſſa remota, quam pro fundamento diuiſionis in conſtituendis huius ſpeciei varietatibus ſelegimus, hic omnino plane diuerſa ſit, febris ſcilicet primaria, quae peculiari quadam determinatione, hanc ad inteſtina inflammatoriam congeſtionem excitet; hoc vtique loco ſeorſim pertractari mereatur; pari tamen iure etiam ſupplementum reliquarum omnium ſupra memoratarum varietatum haberi poterit. Iam vero febris et inflammatio aut ſtatim ab initio affligant, aut in decurſu demum oboriantur, morbus ſemper atrox et dolorificus habendus eſt. Quandoque veró ſymptomata cuncta diagnoſtica inflammationis abeſſe poſſunt, quemadmodum ALBERTINVS notauit, qui etiam ſigna iam tradidit, quibus eiusmodi colica cognoſci poſſit; quae deinde Cl. GESNER *d*) repetiit. Idem etiam inculcauit MORGAGNIVS, *e*) et Cel. SIMSON in praxi medica ſimiles inflammationes absque manifeſta febre exitiales in gangraenam et ſphacelum abiiſſe, memorat; ſimiliter et b. LVDWIGIVS *f*) ſubdolarum huius generis inflammationum in inteſtinis ſine intenſo dolore inflammatorio mentionem iniecit. Peculiare ſymptoma, quod mortem in his non raro infert, quemadmodum ſuffocatio in angina, pertinaciſſima alui obſtructio eſt, quam etiam Miſerere dicunt. Caeterum praeter iſta ſymptomata, quae etiam aliis colicae ſpeciebus familiaria ſunt, ſequentia in hac ſpecie reperiuntur: pulſus nempe paruus, contractus, nares et manus frigidae; quae quidem ſymptomata ſine dubio a ſpaſmis deriuanda ſunt, circulum ſanguinis non parum turbantibus; porro ſumma anxietas et inquietudo, reſpiratio difficilis et praecordiorum ſum-

d) l. c. p. 45.

e) vid. Epiſt. anat. med. 35. art. 31.

f) l. c. p. 155.

ſummae anguſtiae aegros vexant. Perinde in hac, vt in praecedentibus, dolor vrens, vellicans ab initio modo in vno, ac peculiari loco ſentitur, mox vero latius ſe extendit per totum abdomen, et tunc iſtud tenſum eſt ac renitens, durum, nec digito quidem ſine dolore ſummo tangi poteſt. Verum tamen in iſto loco, vbi dolor primum vexauit, is acutiſſimus perdurat; vrina rubra eſt, ſitis intenſa. Niſi autem obſtructio ſublata inflammatione tollitur, ſuccedunt tandem vomitus ab initio bilioſi, et tandem ſtercoracei, immo cruenti, cum ſingultu, ſudoribus frigidis, conuulſionibus, deliriis et aliis peſſimis inflammationis effectibus. Si dolor ſubito ceſſat et pulſus paruus in plenum commutatur, gangraena praeſto eſt. Pari modo, ſi mox aluus laxatur, nec morbus a vi ſua remittit, iſte huius inflammationis exitus exſpectandus erit. Interea ſilentio hic praetereundum non eſt, quod hanc ſpeciem, inprimis therapiam eius egregie pertractauerit Cel. QVARIN. g)

§. XXIV.
II. Colica ſeroſa.

Pro cauſa ſua materiali haec colicae ſpecies agnoſcit colluuiem ſeroſam ſine, vel etiam cum acrimonia, ſed non ſpecifica quadam v. c. rheumatica, arthritica etc. inundantem vaſa inteſtinorum. Cauſſae remotiores huius colicae multifariae ſunt. Harum quidem frequentiſſima ſuppreſſum perſpirabile cutaneum eſt, ſiue hoc ab animi commotionibus triſtioribus, ſiue a refrigerio cohibitum ſit, ac frequentiſſime quidem pedum refrigerium in culpa eſt. Quod ſi contingat, diagnoſis quidem nullis implicita eſt difficultatibus. Haec materiei perſpirabilis translatio ad inteſtina, in noſtris quidem regionibus quandoque graues colicas excitare valet, quemadmodum ex eadem cauſſa verno tempore graues adeoque epidemicae ſeroſae diarrhoeae oriuntur, nunquam tamen eiusmodi pernicioſa ſymptomata ſolet gignere, ac in calidis regionibus, in quibus nimiis interdiu caloribus humores maiorem acrimoniam contrahere aſſolent, ita quidem, ut impulſus ea re videatur Ill. SAVVAGES, colicam accidentalem a frigore, et Rachialgiam Surinamenſem ex adiapneuſtia ſtatuere, quas tamen iterum copulamus,

g) Vid. Ei. libr. meth. med. inflammat. Vindob. 1772. 8.

lamus, cum ſub vna eademque cauſſa et morbi ſede gradu modo differant. Alia cauſſa interdum acrioris et rodentis humoris decubitus, ex ſanguinis circulo ad inteſtina contingens exiſtit. Quando ſub vigore febris cuiusdam iſte euenit, colica tunc critica dici ſolet, quae plerumque diarrhoea quadam terminatur, nec hic diagnoſis quicquam difficultatis habet. At ſi lente hunc decubitum et ſine febre natura molitur, paullo difficilius malum cognoſci poteſt. Pallor faciei aegri et cacochymicus corporis habitus, vrina pallida et aquoſa, feces parum coloratae et abſentia cauſſarum aliarum indolem morbi aliquo modo produnt. Plerumque dolor quidem viuidus eſſe non ſolet, ſed magis obtuſus; cum vero haec minus patens acrimonia iſtius colluuiei ſeroſae, peioris quandoque indolis eſſe, adeoque tam vehementes ac diuerſos dolores ciere poſſit, ac illae, ratione interioris naturae quidem aeque minus patentes, verumtamen pathognomonicis ſymptomatibus diſtinguendae acrimoniae, ſupra iam nominatae; doloris ratio in hac colicae ſpecie pro certo diagnoſtico ſigno haberi nequit. Tertiam cauſam ſiſtunt vlcera antiqua, fonticuli, ſetacea etc. iuſto citius ſanata, vel exſiccata, vbi humores impuri acres intra corpus accumulantur et qualicunque determinatione ad inteſtina reducuntur. Huiusmodi autem malum facile etiam cognoſcetur, ſi enarratam cauſam colica mox ſubſequitur; ex aduerſa tamen parte, ſi diuturnum ſit intra hoc vitium et colicae ortum temporis interuallum, diagnoſis difficilior et dubia etiam reddetur. Major minorue vehementia et periculum inde dependens morbi huius, a quantitate et qualitate huius colluuiei pendet, et cum vtraque valde diuerſa eſſe poſſit, ex doloris etiam ratione, vti iam monuimus, et decurſu huius ſpeciei nulla certa ſigna repeti poſſunt, ſed tota diagnoſis remotiorum cauſſarum euidentia nititur. Hanc vero inprimis colicae ſpeciem intelligendam eſſe, cenſeo, quando CAR. PISO *h*) teſtatur, colicam ſaepe ſudoribus ſpontaneis ortis euanuiſſe. Tandem et haec ſpecies in tres varietates, ſi cui arrideat, pro differentia cauſſarum trium, quas recenſui, remotiorum diſpeſci poteſt.

 §. XXV.

h) In Obſ. et conſil. de praeteruiſis hactenus morbis a ſeroſa colluuie etc. L. B. 1733. 4. Sect. IV. Cap. II. Obſ. LXXX.

§. XXV.

III. Colica ſcorbutica.

Tametſi haec colica ſymptoma modo cenſendum ſit, quod veluti alia ſimilia ad vniuerſalem corporis humani pertineat morbum, cuius cauſa ſignis modo huius morbi detegi poſſit, quaeque etiam in curatione peculiarem plane non exigat indicationem, ſed eo ipſo, quod ſcorbutus profligetur, et vna tollatur; tamen ſecundum ſemel poſitum diuiſionis fundamentum e re eſſe exiſtimaui, hanc colicam non modo nominare, ſed inſtar peculiaris etiam ſpeciei hic proponere. Nemo enim facile inficias ibit, hos dolores colicos hic a peculiari cauſa materiali, quae in inteſtinis ipſis haereat, oboriri. Mordaces nimirum humores ſcorbutici ad vaſa ſanguifera et lymphatica in inteſtinorum tunicis adrepentes, copioſe ſubſiſtentes, ſtimulisque ſuis ſpaſmum vehementem et inde oriunda tormina ſuſcitantes, cauſſam ſiſtunt materialem iſtam. Summo igitur iure eundem locum ſibi vindicat, quem colica rheumatica, arthritica etc. nemine contradicente tuentur. Jam vero nihil opus eſt, hic addi, niſi quod experientia teſtetur, ſcorbuticis inquinamentis ingratum hunc hoſpitem quam ſaepiſſime ſeſe immiſcere, adeoque multis regionibus iisdem pollutis eſſe familiarem, ac mali ipſius vim augere, iterumque, vehementiam et periculum huius colicae, quemadmodum totius morbi, a maiori minoriue corruptela ſanguinis et omnium humorum pendere. Quo vero melius omnis confuſio euitetur, pauca, quae ſequuntur, additamenti loco non plane ſuperflua fore iudico. Sub hac ſpecie nulla mihi alia venit colica, quam quae in veri ſcorbuti ſatellitio occurrit, ſecundum vocis ſcorbuti ſcilicet ſignificatum, quem ipſi tribuit Cel. LIND, qui optime omnium conſenſu de hoc morbo diſſeruit. Quare iſtas a THEOD. van ZELST *h*) et HENR. van BRONKHORST ſub titulo doloris colici ſcorbutici traditas, podagricas tamen, arthriticas, rheumaticas et bilioſas colicas eo refero, quo iuxta cauſarum materialium differentiam pertinent. Facile enim quisque perſpicit, hoc no-

h) Vid. Ei. lib. qui inſcribitur de podagra et dolore colico, ſcorbutico ſimili, pictonico aemulo. Amſtel. 1738. 8. Ibidem et litterae BRONKHORSTII exſtant.

nomen ideo illos elegiſſe, quod iſto tempore ſub ſcorbuti nomine nondum ſpecificam dyſcraſiam humorum putridam, frigidam nempe et febre deſtitutam intelligerent, ſed iuxta vulgarem iſta aetate opinionem, omnem ſanguinis caeterorumque humorum craſin morboſam ſcorbuticam dicerent, ita, vt mirari quis non debeat, EVGALENVM quadraginta nouem ſpecies ſcorbuti enarraſſe.

§. XXVI.

IV. Colica rheumatica.

In hac colicae ſpecie rheumatiſmus in inteſtinis ſedem ſuam figit, et hoc modo hanc colicam excitare ſolet. Duplici tamen modo oritur. Aeger quidem rheumatiſmo vago, in aliqua corporis parte haerente, paullo ante laborauit, qui qualicunque occaſione repulſus eſt, et mox colica ſubſequuta eſt. Facilis igitur hac in colica diagnoſis eſt. Vel etiam aliquis rheumatiſmis valde obnoxius eſt, ſubinde etiam iſtis laborauit, et nunc poſt aliquam iſtarum cauſarum, quae alias rheumaticos affectus intulerunt, in colicam incidit. Fortaſſis vna doloribus rheumaticis corripitur in aliis corporis partibus, quin etiam forſan vtrumque dolorum genus alternat, ita quidem, vt ſi dolores in externa quadam parte intendantur, iſti in inteſtinis non parum remittant, et vice verſa. *k*) Hoc igitur in caſu diagnoſis nulla premitur difficultate. Quomodocunque vero res ſe habeat, colica rheumatica duplicem naturam oſtendit. Quandoque ſcilicet acutiſſima eſt, ſtipatur febre vehementi, ac omnibus ſymptomatibus, quae febres alias comitari ſolent, vt plane curationem rheumatiſmi acuti exigat, vel inflammationis rheumaticae inteſtinorum, quae vero peculiare ſibi nihil vindicat, niſi quod ſub finem ſudorifera admittat. In aliis vero haec colica mitiorem habet indolem, et febre aut infirma aut plane nulla ſtipatur, et haec colica rheumatica potiſſimum oriri ſolet ex adiapneuſtia, ſi valde ſenſilia inteſtina adſunt, et quaedam diſpoſitio ad rheumatiſmos praeſto eſt; et experientia quoque docet, quod inprimis vere et autumno facile in bilioſarum ſordium ſatellitio affligat; tamen etiam creberrime et praeſertim verno tempore mere rheumatica exiſtit. De-

nique

k) Vid. HVXHAM l. c. T. III. p. 57.

nique hic annotandum eſt, PAVLVM AEGINETAM *l*) et CAROL. PISONEM *m*) teſtari, ſe aliquando colicam rheumaticam epidemicam notaſſe, et idem etiam profiteri AVICENNAM. *n*)

§. XXVII.
V. Colica arthritica.

Colicae huius etiam ratio duplex. Vel enim leues ſunt arthriticae colicae, quae plerumque in conſortio aliarum affectionum arthriticarum inprimis hyberno tempore arthriticos affligunt, aeſtate vero iterum euaneſcunt, indeque facile cognoſci poſſunt, et veluti alia quaecunque arthritis curari debent. Vel rebellis chronica arthritis inteſtina petit et colicam excitat, quae in manifeſta cauſa arthritica reſpectu ſymptomatum formam plane colicae Pictonum exhibet, ita quidem, vt Cel. STRACK, *o*) praeoccupatae addictus opinioni, colicam Pictonum propter ſymptomata ſua plane a reliquis ſeparandam eſſe, inde ſtatuere adductus ſit, materiem arthriticam ſemper ferè vnicam poſſibilem huius colicae cauſam habendam eſſe, ad ſummum modo iſtud concedat, duo genera dari colicae Pictonum, alterum a plumbo, alterum vero a materie arthritica. De hac tamen re infra diſſeremus. Diagnoſis etiam in hac colicae ſpecie nulla difficultate premitur. Siue enim arthritis vaga eſt, et tunc aeger dolores arthriticos et colicos alternatim ſentit; hoc frequenter vſu venire ſolet, et tunc nulla alia requiruntur ſigna. Siue arthritis fixa inteſtina vexat, et tunc perdurant arthritici inteſtinorum dolores, nec cum aliis partibus alternant. Secundum Cel. STRACKII obſeruationes tunc colica haec ſequentibus cognoſci poterit ſignis. 1. Aeger ex aliquo tempore iam arthriticis vexatus eſt ſymptomatibus. 2. Eodem anni tempore, quo alias iisdem laborauit, iſta non redeunt, et eorum loco haec colica aegrotum detinet, potiſſimum autumno, hyeme, et ſub tempeſtate turbida. 3. Nullae aliae cauſae detegi poſſunt.

l) Vid. Lib. III. de re medica, Cap. 43.

m) l. c. Sect. IV. Cap. 2.

n) Lib. III. fen. 16. Cap. 6.

o) Vid. Obſſ. medicinales de colica Pictonum maximeque ob arthritidem. Francof. 1772. 8.

ſunt. 4. Nec febris, nec inflammatio praeſto eſt. 5. Corporis habitus flauus eſt, quod quidem ſignum magni momenti cenſet Cl. STRACK. 6. Liuidus oculos ambit circulus. 7. Vbi ſomno aeger ſepultus fuit, debilis ac infirmus eſt, quin debiliorem ſe ſentit, quam antea fuit. 8. Ad ſudores procliuis eſt, et ſudor cutem vrit non alia ratione, ac ſi cinis candens in ea repoſitus eſſet. 9. In ſuperciliis, et in tota corporis ſuperficie aeger ſenſationem formicarum reptantium percipit, quod vero ab acri materie perſpirabili ſine dubio proficiſcitur. 10. Vrina alba exit, vt ſerum lactis, et ſedimentum album et ſubpingue deponit. 11. Tandem etiam iuxta obſeruationes Illuſtris Viri ſignum colicae huius arthriticae pathognomicum haberi debet ſenſilitas et contractio muſculorum abdominalium, quae in ſummo morbi vigore tanta eſt, vt aeger corpus erigere nequeat, ſed eam inclinato capite et incuruato corpore ſuſtinere debeat. Quae quidem colica cum iſti Pictonum aemula ſit, facile intelligitur, quid ratione prognoſeos de ipſa ſentiendum ſit; curatio tamen hic ſola arthritidis apta eſt, quam apud Cl. STRACK pertractatam legimus. De diagnoſi maxime latentis ſpeciei, quae in hac colica arthritica obtinet, vbi ſcilicet arthritis antea nondum ſuis ſe manifeſtauit ſymptomatibus, inprimis docte diſſeruit F. C. G. HOEFER, *p*) et ſigna etiam quaedam tradidit, quae colicam arthriticam praecipue a quibusdam aliis diſtinguunt.

§. XXVIII.

VI. Colica podagrica.

Quemadmodum materies arthritica variis occaſionibus non iuſta ratione ad articulos defertur, ſed interdum viſcera noſtri corporis petit, et quandoque etiam ad inteſtina transmigrat; ſic etiam eandem ſcenam non raro ludit proxime cognata materies podagrica. Et hoc quoque duplici modo euenire poteſt. Ea enim vel locum a natura ipſi deſtinatum iam occupauerat, aliqua vero occaſione non in decubitu modo impeditur, ſed a circulo etiam humorum reſorbetur, et in inteſtinis deponitur. Ac haec quidem colica ex podagra retrograda ita com-

p) Vid. Ei. Diſſ. de colica arthritica, Helmſtadii, 1776.

comparata eſt, vt ſignis plane non indigeat. Vel etiam natura in eo occupata erat, vt materiam hanc, quae procul dubio ſentina male praeparati chyli habenda eſt, iuxta leges ſuas ſtabiles in pedibus figeret, et ſiue propter virium imbecillitatem huic rei perficiendae par non eſt, et critica metaſtaſis nunc non amplius rite conſequitur, vel aegri aut medici vitiis ea in re impeditur; in loco igitur iſto, quo nata eſt, ſubſiſtit, et ibi partes ſuas agit, non ſine magno aegri diſcrimine, cuius quidem expers fuiſſet, ſi legibus naturae obtemperaſſet. Hac itaque ratione colica exiſtit ex materia podagrica retenta, quae vero rara ſincera eſſe ſolet, ſed plerumque totum abdomen vna afficitur, certe viſcera chylopoetica. Etiam haec ſpecies non difficulter cognoſci poteſt. Tempus iuſtum, quo alias podagra notabatur, adeſt, cunctaque ſymptomata praecurſoria praeſto ſunt. Denique aut debilitas aut admiſſum vitium in ſenſus incurrit. VAN ZELST, qui valde atroces caſus huius colicae modo memoratae, et totum earum decurſum, qui apud ipſum igitur legi poterit, accurate deſcripſit, et in Tinctura ſua Minerae Martis natiuae, quae tamen cum ipſo emortua videtur, fere ſpecificum contra hunc morbum ſe inueniſſe, ſibi perſuadere potuit, quaedam adhuc addit ſigna, quae vero ſola ſufficere minime videntur, tamen iuxta cauſam materialem extra dubitationem poſitam, diagnoſin confirmare poſſunt. Qualis autem ſit materies podagrica, retenta nempe, vel retrograda, ſemper eius indoles, ad quam etiam in ſeligendis remediis plurimum attendi debet, duplex eſt. Febre nimirum haec colica podagrica aut deſtituta, ſeu chronica et non febrilis eſt, aut acuta, vt in pede, ſeu podagra cum febre praeſto eſt. In aetate prouectioribus, vt paucis prognoſin delibemus, parum auxilii promittendum erit. Vltimo loco pauca modo hanc ſpeciem defenſurus addam. Quot ſunt cauſae, tot ſpecies colicae numerantur. Quid igitur obſtat, quo minus nouam ſpeciem hanc conſtituamus, cum ſine dubio peculiaris et determinata cauſa materialis, quae in ipſis inteſtinis reſidet, hunc dolorem colicum excitet?

§. XXIX.

VII. Colica ſyphilitica.

Venenum etiam venereum, quemadmodum ad alia viſcera humani corporis, quippe cuius rei indubia multa ſcripta leguntur exempla, ſic etiam ad inteſtina transmigrare poſſe, nemo facile negabit, et non pauca quoque in libris tradita exempla ſatis euincunt. Cum igitur etiam in hoc morbo peculiaris cauſa materialis colicae ſubſit, plane non dubitaui, hanc peculiarem ſpeciem declarare. Quod cum ſimiliter in quibusdam ſubſequentibus ſpeciebus valeat, in vniuerſum monere nunc quidem liceat, ne ſaepius repetere cogar, propter cauſſam materialem ſingularem, peculiares ſpecies notatas eſſe. Ratio etiam huius colicae differt. Binis tamen modis maxime ſe manifeſtat, quorum etiam diſcrimen nonnihil vtilitatis curationi adfert, quodſi etiam materiem gonorrhoicam et veneream iuxta mentem Cl. CRIPP et Cl. TODE minime diuerſam habeamus. Vel enim gonorrhoea ſuppreſſa huius colicae cauſa exiſtit, vel virus venereum per totum corpus diſſeminatum fuit, ibi tamen, vbi exitum ſibi v. c. in vlcere parauit, aut vbi praeſertim haeſit, et noxios effectus exſeruit, aut aegroti aut medentis vitio expulſum eſt. Hoc in caſu quoque diagnoſis nihil difficultatis habet, ſi morbus ſtatim vitium commiſſum ſubſequitur, quod ſcilicet crebro fieri ſolet, ſi gonorrhoea ſuppreſſa in culpa ſit, et tunc etiam plerumque vehementis et inflammatoriae indolis erit. Difficilis tamen cognitu, quin difficillima erit, ſi lues laruata clandeſtinum et diuturnum bellum inteſtinis inferat. Cauſa vero, quod origo morbi venerea tam difficulter cognoſci poteſt, triplex potiſſimum cenſendum eſt. 1. Ortus colicae tantopere a tempore infectionis remotus eſt. 2. Colica immediate ſine ſymptomate primario praegreſſo oboritur, quod quidem raro ſolet contingere, veruntamen vſu venit. 3. Tandem etiam mali ipſius ratio diagnoſin difficilem reddit. Colica enim minime quotidie obuium ſymptoma ex iſtis, quae luem veneream comitari ſolent. Cum vero iam haud ignoremus, fere nullum eſſe morbum ex chronicorum claſſe, qui non ex degenerato aut latente veneno venereo oriri poſſit, cumque noſtra inprimis aetate chronici latentesque morbi venerei opinione crebriores occurrant, facile

 addu-

adduci nos oporteret, vt in affectione chronica rebelli luem laruatam ſtatim ſuſpicaremur, quod etiam conſultum erit in colicis doloribus, ſi reliquae cauſae abeſſe videantur. Praeter hanc vero cauſarum abſentiam et colicae natura rebellis, ſuetis non auſcultans remediis, cum in ipſa tamen colicae indole et natura nihil appareat, quod hanc invincibilem pertinaciam explicare poſſit; aegroti porro confeſſio, quod dudum ante colicae inſultus ſyphilitica quaedam affectio praeſto fuiſſet, quae cito ideoque non perfecte ſanata eſſet, non parum luminis diagnoſi adfert. Quodſi hoc patefactum eſt, ſuſpicio medici valde confirmabitur, ſi adfirmet aeger, ſe ex iſto ſymptomate nunquam recte ſe habuiſſe, ſed ſemper ex leuioribus affectionibus laboraſſe, modo dolores ſenſiſſe, modo bubones inprimis in inguine notaſſe, qui nempe facile oborti eſſent, mox iterum euanuiſſent; quod quidem ſymptoma ad facilitandam diagnoſin magni momenti eſt. Similiter ſi ipſi quandoque aliquid ex vrethra profluit, quod ſponte oritur et ceſſat, et colorem flauum vel viridem induit; vel ſaepius recurrentes arthritici dolores, qui inprimis nocturno tempore ſaeuiunt; et quae huius generis alia ſunt. — Mirabilem colicae ſyphiliticae hiſtoriam nuperrime retulit D. IOH. BERGER. q)

§. XXX.

VIII. Colica exanthematica.

Quaecunque exanthemata, ea pariter, quae febre ſtipata ſunt, ac ea, quae nulla febris comitatur, inteſtina aeque adficere poſſe, ac alia viſcera, quando materia acris exanthematica ad cutis ſuperficiem non decenter propellatur, vel licet ad illam ſit expulſa, ex qualicunque cauſſa recedat rurſus ad interiora, notiſſimum eſt, nec numeroſis indiget teſtimoniis. Quotiescunque vero hoc contingit, iſtud irritamentum, cum in tam ſenſilibus partibus ſedem ſuam figat, ſpaſmos et dolores moueat, oportet, et colica tunc excitabitur, quae eodem iure locum inter reliquas ſibi vindicabit, quem et hae tuentur. Cum vero

q) Vid. Ei. ſuper chirurgiae genuina indole et recta diſcendi ratione, ad medicinae ſtudioſos allocutio. Hamburgi, 1775. 8.

vero omnes huius generis acrimoniae in eo conueniunt, vt iuxta leges naturae ſedem in cute figant, et quadam efflorefcentia ſeſe manifeſtent, libenter amplector occaſionem, has cauſſas, diuerſas quidem ſed in eo conſpirantes, hic in vnam ſpeciem cogendi, ne ſcilicet ſpecierum numerum praeter modum augeam. Cauſae harum colicarum ſenſus incurrunt, facileque cognoſci poſſunt, ſi exanthema, in cutem iam translatum, retrograditur; difficilius vero patefient, ſi iſtud quacunque de cauſſa in interioribus corporis remanet, et inteſtina vexat. In hoc vero caſu ſigna quaeuis pro diuerſitate exanthematis differentia hic adſtruere, nimis longum foret, et facili negotio ex horum morborum deſcriptionibus elici poſſunt. In illis, qui frequenter, vel certe interdum ceu morbi epidemici occurrunt, eiusdem epidemiae praeſentia nonnihil lucis obſcurae rei adferet.

§. XXXI.
IX. Colica lactantium.

Vltima denique cauſſa ex metaſtaſibus, quae vero ob naturam peculiarem a reliquis ſeparanda, lactis translatio eſt ad inteſtina, quam puerperae ſubinde, quae infantes ſuo lacte alere recuſant, pro poena quaſi experiuntur; aliis tamen etiam quandoque ex cauſſis lac mammas deſerit, et verſus inteſtina ruit. Quam varie vero de hac lactis metaſtaſi diſputatum ſit, tamen quam plurima et a fide digniſſimis Auctoribus relata exempla has ipſas extra omnem dubitationis aleam ponunt. Sic, vt vnum modo commemorem, quod etiam inteſtina affecta ſiſtit, et colicam inde obortam, ſic, inquam, RVYSCHIVS refert, ſe lac inueniſſe in grumos coagulatum et parietibus inteſtinorum accretum in quadam foemina puerpera, quae poſt ventris tormina necata eſſet, cui de mammis lac retroceſſiſſet. Iam vero, quamuis raro haec colica occurrat, tamen iure meritoque hic meretur locum. Absque vlla autem difficultate eam medicus detegere poterit, cum remotior cauſſa in ſenſus cadat, aliaeque cauſſae deſint. Allatum etiam exemplum docet, ipſam non plane periculo deſtitutam eſſe.

§. XXXII.

X. *Colica periodica.*

Tametſi nomen huius colicae, cuius BARTHOLINVS, SPINDLER et alii, quos adducit Ill. FR. CAS. MEDICVS, *r*) exempla tradunt, modo ab inſultibus certo recurrentibus tempore deſumtum ſit, ius tamen iſtud, iuxta quod peculiarem ſiſtit ſpeciem, nihilominus cauſa quadam ipſi propria nititur, quae a reliquis omnibus diuerſa eſt. Hic quippe intelligo praeter naturam auctam inteſtinorum irritabilitatem, primam inter quinque cauſas iſtas morborum periodicorum, quas Ill. MEDICVS adduxit. Nam licet nullo modo ſtatuam, cauſas quatuor reliquas, veluti bilem, pituitam, vermes et apepſiam pares non eſſe colicae periodicae gignendae, cenſeo tamen, huic inprimis cauſſae nomen iſtud poſſe tribui, cum nimirum non vnica modo cauſa colicarum ſaepius ſit periodicarum, ſed etiam plerumque, quemadmodum Ill. MEDICVS (l. c. §. 100.) docuit, haec aucta irritabilitas ſimul praeſto ſit, ſi qua cauſarum vltimarum hunc morbum excitaſſet. Taceo perinde breuitatis ſtudio ſigna huius ſpeciei, cum alias ſatis nota ſint. Exempla ab Ill. MEDICO collecta docent, has colicas atrocia etiam excitare ſymptomata, verumtamen earum nulla mortem intulit.

§. XXXIII.

XI. *Colica a calloſitate inteſtini.*

Valde diuturna colica, quae per omnem vitam affligere conſueuit, ſic tamen, vt per interualla remittat et exacerbetur, et maxime a paſtu tantum excruciet, quae ratione diagnoſis ante cadaueris ſectionem difficillima eſt, et iuxta omnis theoriae leges, ſatis iam et experientia confirmatas, fere plane inſanabilis euadit, ea eſt colica, quae producitur ſubinde a ſubſtantia ſcirrhoſa, *s*) quae quandoque in cancrum abiit,

r) Vid. Ei. Geſchichte period. Krankheiten. Carlsruhe, 1764. §. 46.

s) Vid. LAZARVS RIVERIVS Cent. I. Obſ. 90. SCALIGER ad HOLLER. BALLONIVS Parad. 83.

abiit, *t*) vel calloſa, *u*) aut cartilaginea tandem, in quam pars inteſtini conuerſa eſt. Huc etiam referendae ſunt carunculae intimae illius tunicae adnatae, carcinomata, obſtructiones et alii tumores inteſtinorum *w*) etc. Diagnoſis, quemadmodum paulo ante iam expoſui, vix formari poterit. Scirrhum interea ſecundum Cel QVARIN *x*) adeſſe ſuadent: ſi aeger antea de ponderis ſenſu in loco fixo conqueratur, ſi per longius tempus vix aluum deponat; ſi ſumme angatur, et reuomat, quae hoc tempore ſumſerat absque ſtercoreo illo odore adparente in his, quae vomitu reiiciebantur. In prognoſi certi quicquam, inprimis quod recuperandae ſpe ſalutis aegros mulceat, definiri nequit. Diaeta parca, morbo ipſi accommodata, vitae finem prorogare valet. Accedentes vero feces durae, et alia diaetae vitia admiſſa neceſſario morbum deteriorem debent reddere et ileum adeo inferre. Cancer denique accedens cito vitam terminare ſolet.

§. XXXIV.

XII. Colica ab anguſtatione inteſtini.

Eandem fere ſpeciem reſpectu diagnoſis, prognoſis et medelae prae ſe feret colica, quae ab inteſtini praeternaturali coarctatione et anguſtia *y*) ortum ducit. Hoc quidem vitium in inteſtino colo creberrime notatum eſt. Sic D. GAVTERON *z*) in iliaco defuncto colum inuenit arctiſſime anguſtatum, vt vix calamum ſcriptorium admitteret. Pari modo etiam NAHVYS *a*) poſt ileum morte terminatum colon ita anguſtum reperit, vt vix ſuilla ſeta penetrare poſſet. Huc porro caſus referendi ſunt, vbi proceſſus vermiformis laquei inſtar circa partem quamdam inteſtinorum contortus erat, iſtudque arctauerat, quod qui-

t) IO. SCVLTETVS, Armament. Chir. Part. 2. obſ. 47.

u) BENIVENIVS de abditis cap. 34.

w) GERARD BLASIVS Obſ. med. 5. BONETVS Anat. pract. pag. 906.

x) l. c. p. 188.

y) A. F. WALTHERVS Diſſ. de inteſtinorum anguſtia. Lipſ. 1731.

z) Vid. SAUVAGES l. c. T. III. P. II. p. 122.

a) Nov. Act. Nat. Cur. T. V. Obſ. 2.

quidem iterum praecipue in colo notatum eſt. Cum enim ſine omni dubio proceſſus ille inteſtinorum pars habendus eſt, inprimis hic, vbi certiora ſigna detegi deberent, quibus ſemper cognoſcere liceret, quando iſte cauſa huius morbi exiſteret, quibus vero adhuc plane deſtituti ſumus; cunctae remotiores cauſae in inteſtinis ipſis ſitae ſunt, nec vlla alia pars quicquam confert, et propterea colica vera cenſenda erit. Interea tamen in iſto caſu, quem ALEX. MONRO *b*) memoriae prodidit, meſenterium ex parte culpandum erat, quoniam plica eius finem proceſſus huius firmiter amplectebatur. Perinde pernicioſus et difficilis cognitu et curatu, quin etiam ſemper lethalis caſus erit, ſi plenarius interiorum parietum inteſtinalium coalitus in culpa ſit, quod quidem rariſſime, nonnunquam tamen obſeruatum eſt. Huius autem cauſa vel dyſenteriae graues, vel vulnera inteſtinorum male ſanata, vel mala etiam conformatio exiſtere poſſunt. Denique huc quoque referri poſſet ileus imperforatorum, niſi inteſtinum rectum ſedem colicarum haberi non poſſe aſſeruiſſem.

§. XXXV.

XIII. Colica a defectu muci inteſtinalis.

In tanta ciborum diuerſiſſimorum copia, quibus mortalis partim ceu veris alimentis, partim tanquam aromatibus vtitur; in tam frequenti ventriculi a cibis repletione, ſordiumque inde oriunda colluuie, ſaepiuſcule humanum genus cupediorum ac voracitatis poenas lueret, iuſto dolorum cruciatu, quid? quod omnium fere medicamentorum vſus cum hac multis modis valde pernicioſa moleſtia coniunctus eſſet, cum inteſtina propter plures alias rationes tenerrima maximeque ſenſilia fingi deberent, niſi natura prouida huic ſenſili humani corporis parti, quae quippe ob varia mirabiliaque miniſteria multis irritamentis continuo exponi debebat, aliis praeſidiis proſpexiſſet. Mucus ſcilicet, quem infinita fere copia glandularum, quae in toto inteſtinorum tractu quaſi diſſeminatae ſunt, continuo ſecernunt, ſatis tuetur iſta ab iis irritamentis.

b) Vid. Edinburg. Verſuch. T. II. Alium caſum refert KLOEKHOF in Comment. Soc. Harlem. T. XII. vid. GESNER l. c. in notis p. 29.

tis. Quemadmodum vero nulla pars noſtri corporis vitiis omnibus plane immumis eſt, ſic etiam iſte mucus non ſolum vario modo minus aptus ad functiones peragendas, ſed adeo quoque noxius reddi poterit. In vtroque caſu colica orietur, cuius vltima ſpecies infra pertractabitur. Haec igitur ſpecies oboriri ſolet, ſi iſte mucus minus idoneus redditus eſt, miniſteria ſua obeundi; idque duplici modo fieri poterit; vel ſi ſufficiens huius copia praeſto non ſit, vel ſi iſte aquoſus, nimis tenuis, ideoque eius adhaeſio imminuta eſt. Remotior cauſa poſterioris modi vitioſa qualitas ſanguinis ſine dubio habenda eſt. Muci huius inteſtinalis defectum plures cauſae conciliare valent. Harum quippe glandularum obſtructio v. c. ſpaſtica conſtrictio ductuum excretoriorum, repentina nimis muci iſtius excretio, excitata a diarrhoeis grauibus, dyſenteriis vel draſticis et aliis compluribus cauſis, omnem defectum eius inferent. In vtroque vero caſu mox conſequetur ſpaſticus inteſtinorum dolor, qui partim attritu parietum inteſtinorum mutuo, partim actione aeris, et ciborum transeuntium, in naturali praeſidio deſtituta inteſtina facile oriri poterit. Quodſi draſtica, dyſenteriae defectum muci conciliarunt, diagnoſis quidem nulla caligine circumfuſa erit. Quodſi ſpaſtica conſtrictio ductuum excretoriorum arguenda, niſi haec ipſa dolore ſtipata ſit, diagnoſi nequaquam indigebimus, cum antiſpaſmodica in hoc morbo generatim indicentur, quoad inflammatio nondum affligat, vel certe immineat, nec noxia quaedam materies euacuanda. Obſtructionem harum glandularum ex compluribus in diaeta vitiis admiſſis, ex ſanguine ſpiſſo ac viſcido, et ex aliis tactui viſuique ſe exhibentibus glandulis obſtructis et tumentibus colligere quisque poterit. Tandem nimis tenuem nec adhaerentem mucum, corpus cachecticum, ſanguis vapidus, et copioſa excretio huius vitioſi muci declarabunt. Quo maior defectus vel imminuta adhaeſio muci eſt, eo vehementior colica ſit, oportet. Flatus ſeſe adiungentes, vel cibi acres neceſſario etiam dolorem ſpaſticum augere debent. Nihil igitur impedit, quo minus inteſtina ſpaſmis in altera parte anguſtata, in altera vero diſtenta, loculos forment, quibus feces compingant et exſiccent; nec impedit quicquam, quominus ſpaſmi ita increſcere poſſint, vt conuulſiones vniuerſales, epilepſias excitent. in paralyſin inteſtinorum et artuum tranſeant, et, vt paucis, morbum inferant, quem colicam

Picto-

Pictonum appellamus, quique iuxta Cel. GRASHVIS *c*) ſententiam ex muci defectu oritur, niſi veroſimillima eſſet ſuſpicio, inflammatione et gangraena inteſtina muco orbata prius correptum iri.

§. XXXVI.

XIV. Colica chronica habitualis.

Nomen iam ipſum indicat, hanc colicam per menſes integros, immo annos, quid? quod per totam vitam durare poſſe, ita tamen, vt quandoque remittat, quandoque reuertatur. Minima vitia ſub vſu ſex rerum non naturalium admiſſa, minimum refrigerium, et res aliae maxime innocuae, nouos huius morbi inſultus ſuſcitant, et plerumque hi poſt cibos aſſumtos notantur. Ac nihilominus homo caetera ſaluus eſt, cibos bene concoquit, nec morbo hypochondriaco, nec vermibus laborat, etc. Nam acrimonia frequens ex apepſia illata, acidum ſaepe affligens in malo hypochondriaco, et crebri inſultus in hominibus, vermibus correptis, huiusmodi habitualem colicam pariter ſimulare valent. Paucis, nulla alia reperitur cauſa, nec aliud vitium arguendum venit, niſi peculiaris debilitas et atonia inteſtinorum. Ac haec quidem vera colica exiſtit habitualis, quae non ſymptoma alius morbi, ſed mere idiopathicum morbum ſiſtit. Veroſimillimum igitur videtur, inteſtina in his corporibus partem debiliorem, vel connatam, vel acquiſitam habenda eſſe. Huic vero rei plures cauſſae anſam dare poſſunt. Non raro haec debilitas a grauibus dyſenteriis, et diarrhoeis, aut colicis alius generis, ſaepius praegreſſis ac vehementioribus inducitur. Quaeuis enim atrox colica corpus procliue reddit ad plures alias. Coitus etiam nimius, quem iam AVICENNA et LENDENARIA *d*) arguunt, et aliae profuſiones ſeminis huius debilitatis cauſa poſſunt exiſtere. Vitae igitur curriculum ſincere traditum, et morbi praegreſſi hoc igitur et aliis in caſibus plurimum lucis debent afferre.

§. XXXVII.

c) Vid. Ei. tentamen de colica Pictonum. Amſtel. 1752. 8.

d) HIPPOLYTI BRILLI de LENDENARIA de colico affectu tractatus. Venetiis, 1537. 8.

§. XXXVII.

XV. Colica bilioſa.

Bilis ſi intemperie, motu ac copia peccat, inprimis acris nimis, cauſtica ac viroſa in cauo, vel in tunicis inteſtinorum haerens, enormes inteſtinorum dolores et ſpaſmos ciere poteſt. Princeps ſedes potiſſimum in duodeno quaerenda eſt, quam, praeter inſertionem ductus choledochi, doloris etiam in regione huius, hypochondriaca dextra ab anatomicis dicta, perceptio arguit. Attamen ſaepiuſcule etiam reliqua inteſtina, et inprimis colon, maculis latis, flauis conſpurcata, immo tota a bile tincta reperta ſunt. Dolor in hac ſpecie valde acutus eſt, interdum pungens. Plerumque intolerabiles ſpinae dorſi dolores, qui creberrime acrimoniam bilioſam indicant, et ſitis vehemens cum magno aeſtu praeſto ſunt. Sub initiis morbi febris nulla adfligit, poſt vnum vero alterumque diem, ſi morbus atrox eſt, accedit, et ab initio quidem bilioſam refert indolem, quodſi vero diutius perdurat, in febrem inflammatoriam commutatur, ſimulque affligunt reliqua bilioſae colluuiei ſymptomata, ructus nimirum foetentes, nauſea, vomendi conatus, et vomitus bilis viridis et corruptae, vel quoque alui deiectiones bilioſae cum teneſmo, quin etiam diarrhoea interdum affligit, et haec non raro colicam tollit, quemadmodum etiam vomitiones. Si vtraeque morbo non iunctae ſunt, colica atrocior ſolet eſſe et magis rebellis, niſi medicamentis excitentur. Vrina flaua, turbida ac ſpiſſa, dolores capitis, vertigo, amarities oris et lingua ſordibus obtecta hoc in morbo etiam notantur. Nimis vero copioſae bilis ſecretioni, vt et alterationi eius anſam inprimis praebet tempus anni calidiſſimum, verſus autumnum, vbi colicae bilioſae ſubinde epidemicae occurrunt. *e*) Sporadicas ciere ſolent inprimis cholerica et ſenſibilis corporis conſtitutio in iuuenili aut virili aetate poſita; item vehemens excandeſcentia a motu corporis nimio et animi pathematibus, illis nempe, quae bilem mouere, exprimere et alterare ſolent, quemadmodum et tri-

e) Verumtamen HVXHAMVS menſe Februario atrociſſimam colicam bilioſam obſeruauit, quae plurimos torquebat. Obſſ. de aëre et morb. epidem. etc. T. I. p. 348. ed. REICHEL.

triſtiores animi commotiones, quae perſpirabile ſcilicet cutaneum ſupprimunt, colluuie ſeroſa ſolae ſubinde colicam excitant. Ingluuies porro, abuſus carnium, venaticarum inprimis, pinguium et ſubrancidarum, cum potu praecipue ſpirituoſo et copioſo. Prognoſis differt praecipue pro ratione aetatis et vehementiae morbi. Subinde hae colicae atrociſſimae ſunt cum horrendis, irregularibus et inexpectatis ſymptomatibus, vti VAN BRONKHORST l. c. aſſeuerat, vbi exemplum etiam triſte legitur. Attamen hoc in caſu aeger graue etiam refrigerium admiſerat. De colica porro biliosa contumaci, ab aqua gelida pota illico ſublata, genuum vero immani dolore ſubito excepta, et paulo poſt vniuerſa paralyſi BINNINGERVS *f*) recenſuit exemplum. Multa tandem exempla immoderatarum excretionum bilis in cauitate et tunicis inteſtinorum PVRCELL Sect. I. collegit.

§. XXXVIII.

XVI. Colica vinoſa.

Famoſiſſima nunc enarranda mihi venit colicarum ſpecies, colica ſcilicet ſic dicta Pictonum, ſub cuius nomine plura de colicis tradita legimus, quam de omnibus reliquis ſpeciebus et toto genere colicarum. Magnopere tamen doleo, quod ob temporis penuriam breuiter modo ſententiam exponere, nec accuratis grauibusque documentis ex ſcriptis hoc de morbo editis aliquo modo illuſtrare poſſim, quod quidem, ſi otio abundaſſem, facile fieri potuiſſet, cum mihi contigerit, libros fere omnes de iſto morbo euulgatos, partim eximio vtiliſſimoque inſtituto *Bibliothecae Academiae Regiae*, partim ſingulari fauore BALDINGERI, Viri Illuſtr. Praeceptoris mei ad cineres vsque pie deuenerandi, ex inſtructiſſima Eius libraria ſupellectile, accipere ac perlegere. Nomen hoc nouum huic ſpeciei impoſui, partim quia ſecundum meum diuiſionis fundamentum aptiſſimum cenſeo, cum cauſſam ipſam indicet, et fere plane mihi confirmauerim, vile, acerbum et acidum, inprimis recens vinum ſolum hunc morbum generare poſſe; partim vero quia nomen colicae Pictonum hic prorſus nihil deter-

f) Vid. Ei. obſeruat. et curat. medicinal. Cent. 4. Obſ. 18. p. 392.

terminat, et quemadmodum ego quidem exiſtimo, omnis tricarum fons haberi debet. Tametſi enim CITESIVS plures iam cauſſas adducit, quae hanc grauem colicam excitare poſſint, tamen effecit poſtea morbi ipſius raritas, et quod iſtis temporibus reliquas multifarias cauſas, quae etiam talem inferre valent morbum, vel negligerent in aliis terris, vel ignorarent, ideoque ſaepius veram non eruerent cauſam, vt praeſentem morbum iuxta ſymptomata ſua traderent, et propter ſimilitudinem cum iſto a CITESIO deſcripto morbo colicam Pictonum appellarent. Vel etiam cum in libris practicis curationem eiusmodi, vehementia et ſymptomatibus, tum vix explicandis, omnes reliquas ſuperantis colicae exponere vellent, iſti quidem nomen praeponebatur famoſae colicae Pictonum. Paucis, ſenſim et tacite eruditi viri aſſueuere, hanc colicam Pictonum plane ſingularem, et atrocia ac ſymptomatibus ſuis magnam partem haud explicandis plane ſeparandam, ſpeciem colicae habere. Quid? quod ASTRVC nomine colicae eam plane deſtituit, et ad rachialgiam retulit, quem SAVVAGES, SAGAR aliique ſequuti ſunt, qua de re vero ſupra iam loquuti ſumus. Cum vero recentiori aetate denuo occaſio ſe offerret, morbum hunc obſeruandi, et ſummo iudicii acumine diuerſas eius cauſas eruendi, iam in opinione praeoccupata de ſpecifica huius morbi indole dubitare coeperunt, et diſquirere, quaenam vera et vnica eiusdem cauſa eſſet. Et ſic ſequentes iam partes exortae ſunt, quarum vero duces tantummodo praecipuos hic poſſum adducere, cum eorum diuerſae ſententiae paſſim vberius enarratae iam ac diiudicatae ſint. *g*) CITESIVS *h*) et HVXHAM *i*) praeſertim acerbum et auſterum vinum ex immaturis vuis et pomis expreſſum arguunt. BOERHAAVE, *k*) de HAEN, *l*) G. BA-

 KER

g) A. E. BVCHNER D. de diuerſa colicam Pictonum curandi methodo. Halae, 1768. I. P. FOURAGE D. de colica Pictonum. Herbipoli, 1777.

h) FRANC. CITESII Diatriba de nouo et populari apud Pictones dolore colico-billioſo; in Opuſc. med. Pariſ. 1639. 4. p. 167.

i) Opuſculum de morbo colico Damnoniorum, eoque maxime epidemico, anno MDCCXXIV. In edit. cit. T. III. p. 54.

k) In Praelect. de morbis neruorum. Francof. 1762. 8. p. 379. It. in DE HAEN Diſſ. de colica Pictonum. Hagae, 1745. 8. p. 11.

l) In Diſſ. cit. et Rat. med. P. III, X, XI.

KER *m*) et COMBALVSIER *n*) plumbum vnicam colicae Pictonum cauſam ſtatuunt, cui etiam fauet opinioni Cel. GESNER. *o*) Plumbum vero et frequentiſſimam quidem morbi cauſam agnoſcit b. VAN SWIETEN, *p*) ſed minime abnuit, eandem quoque hanc inteſtinorum calamitatem haud raro ab aliis inſuper cauſis exoriri poſſe. Cel. STRACK citato loco aſſerit, materiem arthriticam vnicam cauſſam huius ſpeciei cenſendam eſſe. IO. GRASHVIS tandem, pariter iam nominatus, cauſam eius vel in defectu, vel imminuta adhaeſione muci inteſtinalis ponit.

§. XXXIX.

An colica Pictonum ſtatuenda ſit.

Verum enim vero, quemadmodum expeditum eſt, veteres Graecos, Romanos, Arabes et alios ſcriptores priſcos perinde graues colicas notaſſe, et fere cuncta ſymptomata peſſima, quae characteres verae colicae Pictonum habentur, et in quibus paralyſis artuum, et feces durae, ouilli ſtercoris inſtar, formatae exſiccataeque primum locum obtinent, eas comitari et excipere, obſeruaſſe, qua de re apud b. VOGELIVM, *q*) FOURAGE, *r*) T. TRONCHIN *ſ*) aliosque ſcriptores multa leguntur citata, quibus modo adiiciam LENDENARIAM, *t*) quoniam nullibi adductum video; paucis, quemadmodum certum eſt, a

m) An Eſſai concerning the cauſſe of the endemial Colic of Devonshire; in Medical Transactions publiſhed by a Society of Phyſiciens at London. Vol. I.

n) Obſervations et reflexions ſur la Colique de Poitou, ou des peintres. Paris, 1761. 8.

o) l. c. p. 32.

p) Commentar. in BOERHAAVII Aphoriſm. T. III. in not. ad §. 1060.

q) de cognoſc. et curand. morb. §. 446.

r) l. c. §. 2.

ſ) De colica Pictonum. Genevae, 1757. 8. Cap. 4.

t) l. c. p. 5. „Permutatur quoque ad diuerſos affectus, vt paraliſim, dum ſuccus talis affectus ſubtiliatus ad partes corporis diuerſas peruenit, videlicet manus vel brachium, vel neruos aut muſculos, et inibi cemprehenſus, hunc producit affectum. Quan-

a CITESIO et quidem non primum ita dictam, *u*) ſed eius modo ſtudio per terrarum orbem celebratam colicam Pictonum, nullum tum temporis primo obortum morbum fuiſſe; ita etiam plane confido, hanc colicam minime morbum ob propria ſua et plane ſingularia ſymptomata a reliquis aliis colicis ſeparandum eſſe, et inprimis quidem, ſi vnicam modo cunctas reliquas excludentem huius morbi cauſam ſtatuere velimus. Varietas enim hiſtoriarum morbi uniuscuiusque partis ſeorſim ſpectatae, immo vbi cauſa materialis approbata manifeſta erat, nimis quidem magna eſt, quam vt ſigna pathognomonica poſſent conſtitui, quibus colicam Pictonum ſemper ab omnibus aliis diſtinguere liceret; et quod omnia porro ſymptomata, quae altera pars, ſub morbi oculos incurrente et declarata cauſſa, characteriſtica habeat, etiam ab altera parte, ſub alia perinde patente ac manifeſta cauſa, notata ſint, nemo quoque, vt ego quidem arbitror, facile inficias ibit. — Verum aſſerit viciſſim COMBALVSIER, *w*) qui origini morbi ex plumbo fauet, licet ingenue fateatur, maximam partem horum ſymptomatum, et ſingulo numero, et ſubinde plura ſimul, etiam in aliis grauibus colicae ſpeciebus occurrere: vnio, pertinacia et ordo denique horum ſymptomatum, quo appareant, et ſeſe excipiant, character huius colicae cenſendi ſunt. Num vero hoc aliquid contra nos probat? Quid inde aliud coniici poterit, niſi quod qualiscunque praeſens cauſa, ſi res ita ferat, his characteribus erui poſſit? Ac nihilo ſecius ſtatuo, hoc etiam loco non pauca obiici poſſe. — Quodſi vero ſecundum b. BVCHNERI *x*) ſententiam, qui cauſam proximam colicae Pictonum quodcunque corpus adſtringens habet, ſi haereat in inteſtinis, ſit quidem antecedens illius cauſa plumbum, cui acidum adhaeret, aſſumtum; vel particulae ſaturninae ſolae, ſed ventriculo illatae, qui acido repletus eſt; vel vegetabilia adſtringentia, et ex iſtis

Quandoque ad caput permutatur, et tunc vel caducum morbum vel furorem producere poteſt. et eo tempore nocuum eſt. et indicatio admodum mala. quia permutatio fit, de membro ignobili ad membrum nobile.

u) Primus videtur IAC. CAHAGNESIVS. Conf. Ei. L. de curandis febribus, cuius calci adiectum eſt peculiare caput de colica Pictauienſi, Cadomi, 1616. 8.

w) l. c. T. I. p. 213.

x) In diſſ. cit.

parata vina aut muſtum, vel adſtringens denique ex morbo in primarum viarum canali enatum, vt Veterum pituita vitrea, colicam, quae in praeſente cauſa adſtringente, cum pertinaci alui obſtructione coniuncta eſt, et in artuum paralyſin deſinit, colicam diceremus Pictonum, quemadmodum flatulenta dici ſolet, vbi dolor colicus ſub accumulatione flatuum cum inſigni abdominis inflatione coniunctus eſt; diuiſionem colicarum tunc haberemus, quae facile admitti poſſet. Verum mihi confirmo, conſtituendos characteres diſtinctiuos tunc nequaquam ſatis firmos fore. BVCHNERVS ipſe iam ingenue fatetur, rodentia quoque corpora colicam inducere poſſe et grauiſſimam, et deſinentem in artuum paralyſin; anne vero etiam vel ex atrocia ſpaſmorum, vel ex inflammatione accedente, durities alui, conſtantiſſimum illud, quod omnes fatentur, colicae Pictonum ſymptoma, vt BVCHNERVS ait, huic ſe poſſet iungere? Numne HVXHAMVS *y*) de colica bilioſa aſſerit, quae tamen etiam cauſam rodentem agnoſcit, et cuius ſupra exemplum allegauimus, vbi in dolorem vehementiſſimum genuum, et paulo poſt in vniuerſam paralyſin abiit: nunc aluus eſt citiſſima, nunc adſtricta maxime, ne vel catharticis fortiſſimis cedens etc.

§. XL.

Cauſarum colicae vinoſae recenſio.

Verum enim vero hae lites extra libelli huius fines poſitae ſunt, cum ego quidem, qui ſolummodo determinatam magis et accuratiorem colicae, vt generis morborum, notionem ponere, plenioremque ac magis abſolutum cauſarum eiusdem catalogum exarare ſtudui, quam quidem hactenus conſcriptum norim, contentus eſſe queam, ſi viri eruditi fateantur, recens, auſterum et ex immaturis vuis et pomis paratum muſtum colicam excitare poſſe, ſit haec colica Pictonum, nec ne; et hanc inde ex multis ſeculis confirmatam obſeruationem nemo facile negabit. Colicae endemiae in Normandia, vt vnicum modo exemplum adducam, quae ſecundum CHAVDELIRE ſine dubio *cidre coupé*, ſiue miſcelae recentis et veteris vini ex pomis con-

y) l. c. T. I. p. 348.

confecti tribuendae ſunt, indubium aſſerti huius documentum praebent, paucae in his occurrentes paralyſes ex particulis admixtis ſaturninis iuxta BAKERI z) ſententiam pendeant, nec ne. Vegetabilia itaque acerba et adſtringentia, cuius generis fere omnes arborum fructus ante maturationem ſunt, inprimis vero vuae immaturae et ex iſtis parata vina recentia ſiue muſtum, rudiori tartaro adhuc onuſtum, nec non vſitatiſſimum in Anglia vinum ex pomis, praecipue nondum ſatis maturis, paratum et intemperantius hauſtum, huius colicae ſpeciei cauſa ſunt materialis. Facile igitur perſpicitur, magnam hic ſingulorum fructuum diuerſitatem obtinere. Cum vero quisque iſtam facili negotio ad hanc ſpeciem reducere poſſit, labore me ſuperſedere poſſe arbitror, vberiorem hic proponere eorum indicem. Attamen ob memorabilem praeſertim exitum colicae Iaponicae, incolis SENKI dictae, de qua KAEMPFERVS a) quaedam memoriae prodidit, et quam perinde huc refero, mentio iniicienda eſt. Generatur nimirum praecipue a cereuiſia Iaponica, SAKKI nuncupata, ſi frigida ingeſta ſit. Ex oryza coquitur haec cereuiſia ad vini Hiſpanici vigorem ac conſiſtentiam, et tam ſingularem indolem obtinet, vt nunquam frigida bibi, ſed paullulum prius calefacta ſorbillari debeat. Colica vero inde orta, cum vehementiſſimis conuulſionibus ſtipata, hoc inprimis ſibi peculiare vindicat, quod vltimum deſinat in tumores in variis ſeſe corporis locis attollentes, praecipue in viris in ſarcocelen, et in feminis in ficus ani atque vuluae labiorum.

§. XLI.

Decurſus eiusdem.

Intuitu decurſus huius colicae ſupra iam quaedam dicta ſunt. Cum autem praeterea in allatis ſcriptis fuſe tradita ſit, et de periculo eius etiam dictum, paucis modo decurſum eius nunc exponam. Subinde repente oritur, plerumque tamen lente. Atrociſſimos dolores aegri ſentiunt in abdomine, cum vigiliis, ſtranguria, iſchuria, animi deliquiis

etc.;

z) In Medical Transactions etc. V. I. Tract. 20.

a) Vid. Ei. Amoenitat. exotic. Faſc. III. p. 582.

etc.; experiuntur etiam ſpaſmos grauiſſimos in muſculis abdominalibus, aluum potiſſimum pertinaciter obſtructam, abdomen durum, conſtrictum; in his etiam vmbilicus ſaepe adeo vehementer introtractus eſt, vt quaſi dorſo incumbere videatur, et anus validiſſime conſtringitur verſusque abdominis cauum introducitur, ita quidem, vt clyſmatis applicatio ſaepe reddatur impoſſibilis. Si morbus increſcit, dolores lancinantes in mammis, humeris, pedibus, qui rheumaticos aemulantur, accedunt, et ſi hi dolores oboriuntur, dolor ceſſat colicus. Plerumque effloreſcentia, rubris puſtulis diſtincta, in cutem prodit. Praecipua vero ſymptomata, de quibus tamen, num in colica vinoſa occurrant, adhuc litigatur, ſunt paralyſes artuum ac inteſtinorum, amauroſes, conuulſiones, quin etiam ſpaſmus maxillae etc.

§. XLII.

XVII. Colica ſaturnina.

Plumbum, quacunque etiam via in corpus humanum perueniat, ceu cauſſa colicae Pictonum plurimas reperit defenſores, et ego quidem facile concedo, creberrimam pernicioſiſſimamque cauſſam, et colicas ab ipſo excitatas longe atrociſſimas eſſe, praeſertim quod, vti iam BOERHAAVIVS *b*) monuit, ſubinde tectius irrepit, nec ſe manifeſtat, niſi devictis iam corporibus. Late ſe extendens ac creber plumbi apud mortales vſus; quem accuratiori examini ſubiiciendum eſſe cenſet ANT. DE HAEN, *c*) et praecipue quod poſt interdictas vini adulterationes rarius iſte morbus nunc obſeruetur, nullum plane dubium relinquunt, quin particulae ſaturninae cum priſcis temporibus, tum noſtris cauſa frequentiſſima fuerint. Diuerſos modos ac vias, quibus hoc venenum corpus humanum clandeſtino ſaepe irrepere poſſit, in pereleganti ſcripto fuſe docuit G. BAKER. *d*) Quo vero modo deleterios effectus ſuos in humano corpore exſerat, et quare inprimis ventriculum et inteſtina afficiat, nec tantopere pulmones,

b) In Elem. Chem. Vol. II. proc. 170.

c) In rat. med. P. X. p. 80.

d) l. c. Tract. XIII.

nes, haec omnia Cel ILSEMANN *e*) in diſſertatione eximia ſua egregie et copioſe tradidit. Acidum nempe primarum viarum, et praecipue ventriculi, in quo vero hoc venenum nequaquam ſatis diu verſatur, vt eum aeque ac inteſtina poſſit vexare, hoc, inquam, acidum, vnicum menſtruum plumbi, quod in humano corpore inuenimus, vera et vnica cauſa exiſtit, quae venenum hoc deleterium idoneum reddit, atrociſſimae huic colicae excitandae. Huiusmodi acido ſolutum plumbum ita fere agere videtur. I. Partes ſolidas corrugat et conſtringit, et eo quidem modo, vt ſimul motum illarum infringat, quem vera roborantia alias augere ſolent. Id vero iam abunde patet ex externo vſu plumbi. II. Partes fluidas condenſat ac coagulat. Ac inde quidem pertinaciſſima alui obſtructio, rigiditas et ſiccitas etc. explicari poterit. Omnia conſpirant cum eo, quod alii auctores *f*) de plumbi actione notarunt. Decurſus huius colicae ſaturninae, qui apud Cel. ILSEMANNVM et alios in colica vinoſa adductos ſcriptores vberius relatus legitur, hic fere eſt. Senſim ſenſimque pertinax alui obſtructio naſcitur, quae nullis tandem remediis cedit. Feces, quas aegri purgantis medicinae aut clyſteris ope excernunt ſtercoris ouilli inſtar cineraceae ſunt et durae. Saepius etiam ſe aſſociant graues cardialgiae, nauſea, vomitus, et quod vomitu eiiciunt, quandoque colorem picis liquidae refert. His accedunt dolores colici, qui ita atroces ſunt, vt ſubinde aegri animi deliquia experiantur, et qui non raro cum tuſſi ſicca, ſtranguria, aſthmate, palpitatione cordis coniuncti ſunt. Demum etiam extremitatum paralyſis, cum artuum contractura notatur, et aegroti denique icterici fiunt, caeci, ſurdi, muti, verbo, variae obſeruantur paralyſes, contabeſcunt et hydrope plerumque pereunt. — HIPPOCRATEM, VITRVVIVM, GALENVM et complures ſcriptores priſcos plumbum iam valde ſuſpectum et noxium declaraſſe, copioſe expoſitum legitur apud BAKERVM, *g*) HENKELIVM, *h*) I. P. KOE-

e) Vid. Ei. Diſſ. de colica ſaturnina metallurgorum. Gotting. 1752.

f) Vid. Percival Obſervations and experiments on the poiſon of lead, London, 1774.

g) l. c. Tract. XIV.

h) IO. FR. HENKEL von der Bergſucht und Hüttenkazze. Dresd. 1745. 8.

KOENIGI *i*) aliosque plures. — Non ſine vtilitate maxima etiam de noſtro argumento ZELLER, *k*) SAM. STOCKHVSEN, *l*) E. GOCKELIVS, *m*) HOFFMANNVS, *n*) RAMAZZINI, *o*) P. W. STOCKHAVSIVS, *p*) WILSON *q*) etc. legi poterunt.

§. XLIII.

XVIII. Colica a Venenis.

Coniungo hic quascunque chemicas acrimonias extrinſecus, ſit per ſuperiora vel per inferiora, enematis quidem forma, in canalem inteſtinorum illatas, quarum effectus immediati ſpaſmus et inflammatio ſunt, qui vero effectus pro diuerſitate efficaciae, et quantitatis veneni aſſumti modo vehementiores, modo leuiores ſunt, et modo citius, modo tardius ſubſequentur. Quodcunque igitur corpus, acre, rodens, vellicans, ſalinum v. c. concentratum, ſit acidum vel alcali, terribilis porro venenorum turba, ex omnibus naturae regnis deſumta, nec non optimum alias medicamentum, exhibitum vero vel nimia quantitate, vel non rite praeparatum, draſtica e. g. purgantia, vomitoria fortiora, cantharides, calx viua etc. materialis huius ſpeciei cauſa ſunt. Quam crebro noſtra medicamenta, etiamſi non ſine indicatione quadam et iuſta doſi exhibita ſint, colicam excitare poſſint, ſi vel haud iuſto tempore aegro propinata, vel non recte, aut corpori noſtro non ſatis conuenienter praeparata ſint, vel vitia in diaeta accedant; ſolo mercurii exemplo illuſtrabo, cuius praeparata compluria iuſtam hanc reprehenſionem incurrunt. Ita quidem non raro ipſe mercurius viuus colicas excitauit, ſi vel mercurius plumbo non ſatis purgatus eſt, vel quod ma-

i) Diſſ. ſiſt. caſum aegroti colica ſaturnina laborantem. Arg. 1764.

k) D. de noxa vini Lithargyrio mangoniſati etc.

l) Libell. de Lithargyrii fumo noxio morbifico etc. Goslariae, 1656. 12.

m) Beſchreibung des durch Silberglett verſüßten ſauren Weins, und der davon entſtandenen Weinkrankheit. Ulm. 1697. 8.

n) de metall. morb.

o) de morbis opificum.

p) Diſſ. aegrum exhibens colica ſaturnina laborantem. Ienae, 1712.

q) In obſerv. med. Edinburg.

magis huc ſpectat, ſi aeger vna acida aſſumſit, licet metus, mercurium ſublimatum inde oriri poſſe, inanis ſit. Pari modo atroces colicae notatae ſunt ſub vſu arcani D. ROYER, quod mercurium ſublimatum et camphoram in mixtione ſua continet, et forma clyſmatis adhibetur; vti et ab vſu pilularum famoſarum D. KEYSER, vbi mercurius cum acido aceti praeparatus eſt. Similiter D. BELLET arcanum, ſyrupus nimirum mercurialis, vbi mercurius in acido nitri ſolutus eſt, quod vero acidum maxime ſuſpectum eſt, vna cum pluribus aliis periculoſis ſymptomatibus, colicas etiam graues commouit. Eosdem plane effectus edidit D. PRESSAVIN aqua vegeto mercurialis, vbi hydrargyrum cum cremore tartari coniunctum eſt. Sic tandem etiam mercurius ſublimatus colicas interdum excitare ſolet, ſi vel ſordium colluuies in primis viis praeſto eſt, vel in ſolutione Swieteniana exhibeatur, in qua nimis laxe et aperte haeret, et tota igitur portio, etiamſi permagna non ſit, vna vice ventriculum et inteſtina afficit, quamquam ſublimatus propterea reprehendi non poſſit. Si aſſumtio veneni cuiuscunque generis explorata et manifeſta eſt, nullis amplius indigemus ſignis. Solam ſuſpicionem vero ſequentia ſigna ad certitudinem, vel certe ad maiorem gradum probabilitatis perducere debent. Homo caeteroquin ſatis ſanus ſubito immaniſſimis inteſtinorum doloribus, et omnibus colicae huius ſymptomatibus ſtatim ſub initio grauiſſimis corripitur. Conſpiciuntur color faciei plumbeus, oculorum contorſio, labiorum tremor, extremorum frigus, ſudor ſyncopticus, digitorum contractio, vngues nigreſcentes, praecordiorum anxietas ſumma, ardor cardiae, ſitis intenſa, reſpiratio difficillima, abdominis vel totius corporis intumeſcentia inſignis, cum pulſu celeri, ſed paruo et imbecilli, cruenta per vomitum vel aluum deiectio, proſtratio virium maxima etc. Prognoſis iuxta aegri conſtitutionem formari debet; inprimis tamen, quemadmodum paullo ante dictum eſt, iuxta copiam et efficaciam veneni aſſumti, ſi ſcilicet hoc poſſit erui; denique accommodari iſta debet copiae et atrociae ſymptomatum, ſi cauſa minus pateat. Praeſertim metuenda eſt inflammatio, quae, irritamento continuo affligente adiuta, facillime in ſphacelum tendit.

 §. XLIV.

§. XLIV.

XIX. Colica ab ingluuie rerum peregrinarum.

Quamuis haec ſpecies interdum, quod vero ſaepius vſu non veniet, ratione ſymptomatum et decurſus priori ſimillima ſit, tamen rem meam exigere arbitratus ſum, has dirimere, cum non tantum agendi modus cauſarum, a quibus producuntur, diuerſus ſit, ſed potiſſimum etiam ratione medelae magna hic differentia obtineat. Ibi enim remedia adhiberi poſſunt, quae immediate in venenum ipſum agunt, et vim eius deleteriam infringunt; hic vero mediate ac remote tantummodo vim eius debilitare poſſumus, ſymptomata excitata oppugnando, ſanguinem ad inflammationem neceſſarium detrahendo, et neruos minus idoneos reddendo, ſpaſmis et conuulſionibus inteſtinorum excitandis. Quaecunque igitur externe corpori humano illata, dura et in iſto plane indiſſolubilia, ideoque vere heterogenea ac peregrina corpora, quae mechanicam actionem in inteſtina exſerunt, collecta hic pro cauſa huius ſpeciei agnoſco. Diuerſitas horum corporum, dum ſcilicet vel ſolo pondere, duritie, ſeu volumine nocent, vel etiam praecipue propter acuminatam ſuam et anguloſam figuram pernicioſa redduntur, duos hic, vt aiunt, ordines inferiores poſtularet, quorum prior minus atrox, minusque periculoſus foret, niſi diuerſa aegri conſtitutio iſtud tollat, quod nimirum in corpore valde irritabili ſenſilique prioris ſpeciei cauſa aeque pernicioſa ac periculoſa futura ſit, ac anguloſum peregrinum quid, laxo et ſpongioſo corpori illatum. Indicem horum corporum, quae vel incuria propriae ſalutis, vel curioſa oſtentatione vario modo in humanum corpus peruenerunt, et cuius quidem rei innumera exempla relata leguntur, nunc quidem ſuperfluum cenſeo, cum vnicuique plura in mentem venient, et occurrentes caſus facili negotio in locum ſuum reduci poterunt. Diagnoſis ſola aegri relatione nititur, ex ipſis enim ſymptomatibus nihil certi ratione cauſae coniici poterit, donec praeſentia et conditio eius declarata eſt. Facile vero perſpicitur, praeſertim inflammationem metuendam eſſe, vt et atrociam ſpaſmorum, qui quidem in hoc caſu valde exitioſi fieri poterunt, ſi peregrinum corpus includant, et firmiter teneant, et hoc perficiant, vt magis adhuc irritet.

§. XLV.

XX. Colica calculoſa.

Tametſi Ill. SAVVAGES hoc quidem concedere debeam, hanc ſpeciem colicae, quam a calculis deriuo, qui vel in inteſtinis ipſis generati, vel per ductum choledochum ex hepate, vel ex veſicula fellea in illa delati ſunt, ratione doloris pariter, ac numeri, modi et indolis ſymptomatum et exitus, verbo, reſpectu totius decurſus nulla in re a praecedente ſpecie differre, vbi corpus durum, quod ipſum adeo calculus eſſe poterit, per os inteſtina ingreſſum eſt, et dolores colicas excitat, tamen mihi perſuadeo, argumentis euinci poſſe, has ſpecies ſeparandas eſſe. Nam ne iſtud quidem memorem, quod in vtroque caſu ex ſymptomatibus nihil certi reſpectu praeſentis cauſae colligi poſſit, ſed quod tota diagnoſis euidentia harum cauſarum nitatur, quemadmodum in praecedente ſpecie iam dictum eſt, quarum ſcrutinio, vt iſtud magis confirmemus, haec, quae ſequuntnr, ſymptomata addere poſſumus; ne memorem, inquam, coniunctionem vtriusque ſpeciei plane nihil vtilitatis oſtendere; non origo modo demum harum cauſarum, ſed tota etiam diagnoſis toto coelo diuerſa eſt, quia haec ipſa diagnoſis in vtroque caſu euidentia modo cauſarum nititur, nec ſignis ſymptomaticis ſuperſtrui poteſt. Ac hoc quidem, vt mihi videtur, ſatis graue argumentum eſt, praeſertim ſecundum diuiſionis fundamentum ſupra propoſitum, ad has colicas ſeparandas. In iſta ſcilicet caſus ſatis patet; aeger fatetur, ſe corpus durum deglutiuiſſe, et colicam notamus ſubſequutam. In hac vero fontes alii adeundi ſunt, et hi nunc nominandi ſunt. Grauiſſimus caſus, qui ſpeciem peculiarem ſiſteret, niſi rariſſimus eſſet, nec praeterea ſuſpicio adeſſet iuſta, ipſum ex ſequenti caſu originem traxiſſe, qui modo diuturno interuallo obſcurior factus ſit, is eſt, ſi hi calculi in inteſtinis ipſis generati ſunt. Nam hic omnino ingenue fateri debemus, iſta a Cel. SAGAR adducta ſigna parum vel omnino nihil valere, quam ob rem etiam Ill. SAVVAGES probabiliter magis conſultum duxit, potius nulla plane adducere; ſed vnicum tutum ſignum, quod nobis ſolum, vti non raro in vermibus, relinquitur, horum calculorum excretio ſiſtit. Ac quamuis hoc ſignum pari modo ex parte inutile reddatur, ſi vnicus caſu quodam natus calculus

cauſa colicae exſtiterit; ſemper tamen ſummi momenti exiſtimandum erit, non modo, ſi plures calculi relicti ſint, ſed etiam, quia nunc demum de diatheſi calculoſa, quam Cel. SAGAR adſtruit, certiores facti ſumus, et nouae huius generis colicae occurrere poſſumus. Nonnihil luminis etiam accendetur, ſi ab initio dolor, quamdiu aeger tranquillo ſitui adſtrictus, modo grauatiuus eſt, interdum vero valde atrox redditur, ſi corpus mouerat. Alter huc etiam ſpectans, neque tamen ita difficulter cognoſcendus, licet ſaepius occurrat, is caſus eſt, ſi calculi biliarii per ductum choledochum inteſtina intrant, et nunc veluti quoduis peregrinum corpus agunt. Signa praecedentia calculorum biliariorum, quae praeter alia, quae niſi iam ſatis cognita ſint, facile in medicorum ſcriptis reperiri poſſunt, inprimis crebris, immobilibus, ſpaſticis et inflammationis affectibus, loco definito huius ductus, dextro nimirum latere, accurate vmbilicum inter et coſtas ſpurias, et ſub his inſultibus oboriente et euaneſcente aurigine ſatis ſe manifeſtant, diagnoſin huius caſus conſtituunt. Caeterum hic ratione decurſus aeque, ac prognoſeos ea omnia valent, quae de praecedente ſpecie dicta ſunt. Hoc vnicum modo adiiciam, hos calculos, ſi nimis increſcant, facile colicam in ileum commutare poſſe, ad quod caeteroquin efficiendum ſpaſmis et inflammatione concitatis apti ſunt. Exemplum huius generis ſiſtit ileus calculoſus ex SAVVAGESII libro iam adductus, (§. IV.) vbi mulier ileo praegreſſo, ac multo oleo oliuarum propinato et clyſmatis forma iniecto, nec non potata decoctione foliorum violae, demum deiecit calculum pollice longiorem, ſemipollice craſſiorem, ouatum, ſubalbidum, leuem etc. Exempla plura calculorum, in inteſtinis deprehenſorum, longa ſerie citauit et annotauit SENNERTVS, *r)* item KAEMPF, *ſ)* ac PVRCELL etiam nonnulla collegerunt.

§. XLVI.

XXI. Colica ex cruditatibus.

Cruditates, ſordes, cibi male ſubacti, qui propter moram acrimoniam contrahunt, materiales cauſae huius colicae exiſtunt, et vario modo

r) Vid. Ei. Inſtitut. lib. 2. part. 2. cap. 9.

ſ) Diſp. de infarctu vaſorum ventriculi. Baſil. 1751. D. A. KOCH de infarct. vaſorum in infimo ventre. Argentor. 1752.

modo oriuntur. Cunctae vero facile ad binas ſequentes claſſes redigi poſſunt. Vel enim prima cauſa in debilitate, vel alia quacunque mala conſtitutione organorum ciborum coctioni inſeruientium, vel in cibis coctu difficilibus ponenda eſt. Binae claſſes iterum in ordines inferiores reduci poſſunt. Ad primum nempe pertinet ventriculus debilis, cuius infirmus motus periſtalticus cibos non modo non ſatis miſcet, ſed etiam nimis diu remoratur, quod vtrumque neceſſario ipſis acrimoniam contrahere debet, quae, ſi iſti cibi tandem in inteſtina transgreſſi ſunt, colicae excitandae idonea eſt. Ac hae quidem creberrimae ac diuturnae colicae ſunt, quarum ſupra iuxta chronicam habitualem mentionem fecimus, quae nempe apepſiae ſequelae ſunt, cuius quoque ſignis cognoſci debent. Cauſae vero huius atoniae ventriculi, quemadmodum ſigna illius tam varia ſunt ac trita, vt nequaquam e re eſſe cenſeam, ipſis diu immorari, praeſertim cum non amplius huc pertineant. Quodſi ex hac atonia ipſa inteſtina languent, ita, vt nunc praeparatus chymus modo hic nimis diu commoretur et acris reddatur, colica tunc nobis ſeſe offert, cuius cauſa in inteſtinorum tunicis haereat, quare ſupra iam eam pertractauimus, et quidem ſub nomine modo adductae ſpeciei. Altera huc pertinens cauſa defectus vel mala conditio liquorum menſtruorum, praeſertim bilis exiſtit. Inde potiſſimum perpetuum acidum hypochondriacorum, et colicae cum hoc coniunctae. Cauſae ac ſigna huius defectus vel adynamiae bilis caeterorumque liquorum menſtruorum huc etiam non pertinent. Altera claſſis duplicem etiam agnoſcit cauſam. Vel enim cibi ſola quantitate peccant, et tunc etiam hic caſus duplex exiſtere poterit. Vel enim epulae lautae ac nimis diu protractae in minus aſſuetis coctionis vires ſuperant, et ſubito colicam excitant; vel ſenſim ſenſimque ſordes colliguntur, quod plerumque in aſſueta iam nimia repletione a cibis ſolet contingere. Vtraque vero colica vomitu aut diarrhoea finiri ſolet. Vel cauſa ſita eſt in ciborum peruerſa qualitate, et huc pertinent inprimis innumera exempla rerum deglutitarum, quae quidem iuxta naturam ſuam non plane coctionis ciborum viribus reſiſtunt, quam vbi mechanice inteſtina afficerent, et ad ſpeciem decimam nonam referendae eſſent, verum tamen ſuetis humanis coctionis ciborum viribus, ſaltem praeſentis indiuidui ſolui non poterant, itaque in primarum viarum canale diutius relictae, acrimonia acqui-

quiſita colicam commouerunt. Exempla huius generis ſilentio hic tranſeo, cum quidem ſatis nota tritaque ſint. Praeter has hic etiam ſaepius occurrentes, colicae infantum ab acidi lactis coagulis nominari debent, quoniam ſaltim creberrime in infantibus ab ipſa mala huius ſucci nutritii qualitate, rarius a bile impotente vel ventriculi debilitate oriuntur. Cunctae hae colicae nihil periculi portendere ſolent, inprimis ſi mature morbus oppugnetur.

§. XLVII.

XXII. Colica verminoſa

In numeroſiſſimis morbis, quos hi iniqui hoſpites humano corpori inferre valent, dolores colici frequentiſſime occurrunt, cuius quidem rei cauſa facile perſpici poteſt. Lumbrici vermes omnino creberrime horum dolorum cauſa exiſtunt, interea tamen non reliquae modo, ſaepius pariter obuiae, vermium ſpecies huc pertinent, veluti taenia, aſcarides, ſed etiam animantia aliarum, quam eius, quae vermes complectitur, claſſium, rarius quidem iſtis ceu cauſa huius morbi occurrentia, ſubinde tamen obſeruata. Ex nouiſſima claſſe hoc loco adhuc nominandus eſt Gordius, vel Seta aquatica, quae, referente LINNAEO, *t*) Lapponibus, dum in ſyluis paſcendae pecudis cauſa per aeſtatem degunt, hauſta ſcilicet ibidem aqua ſemiputrida, vi radiorum ſolarium incalefacta, ac vermiculo iſto gracili ſcatente, diriſſimos facit ſpaſmos circa regionem vmbilicalem, qui ad pubem vsque extenduntur, ita vt correpti hoc morbo aegroti, vermium inſtar, per terram repant, et renes etiam atque veſica vrinaria adeo torqueantur, vt lotium ſubinde ſanguinolentum emittant; ſed poſt paucas horas morbus plerumque iterum remittit, ac larga ſaliuae excretione ſoluitur. Singularem hanc Lapponum colicae verminoſae ſpeciem, Lapponicam inde dictam, incolis vero HOTME vel VLLEM, ab aſſumto cum aquis Gordio iſto aquatico oriri, certiores nos iterum fecit LAVRENTIVS MONTIN. Verum ad iſtas apud nos ſolemnes vermium ſpecies reuertor, praecipue autem de lumbricis nobis ſermo erit.

Coli-

t) In Flora Lapponia p. 65. de Angelica.

Colicos dolores duplici ratione excitare ſolent. Vel enim eorum copia accuſanda venit, vbi interdum in globum quaſi conglomerantur, *u*) ideoque praeternaturali inteſtini extenſione dolores et ſpaſmos commouent, praecipue ſi ſimul ciborum et flatuum tranſitui obicem ponunt; vel ipſi modo arguendi ſunt, dum ad latera inteſtinorum repunt, et ſetis ſuis numeroſiſſimis ab Ill. MVRRAYO, *w*) *Praeceptore ſumma, qua par eſt, pietate colendo,* nuper demonſtratis, inteſtina pungunt ac vellicant, quo fibrae ac tunicae inteſtinorum neruoſae ſpaſmodicis agitantur motibus, vel inprimis dum fame, cibis ingratis, aut medicamentis acrioribus irritati, tunicis inhaerent, illasque ſubinde, valde rebelles redditi, diutius rodendo perforant, et ſic teſte HILDANO, *x*) Ill. STOERCKIO *y*) aliisque, in abdominis cauitatem penetrant. Verumtamen MORGAGNI ſibi perſuadere nequit, vermes in viuo humano corpore inteſtina perforare poſſe, licet per aperturas, ex aliis cauſſis obortas, euaſerint. Vermes etiam mortui aut necati, niſi ſimul vel a natura, vel arte eiiciantur, putredinoſa corruptione, cui neceſſario ſubiecti ſunt, colicos dolores, vti et febres putridas, ac multos morbos alios inferre queunt. Signa generalia, quae vermium praeſentiam in vniuerſum ſignificant, vti et ſpecialia, quae vnamquamque ſpeciem produnt, huc non pertinent, licet notiſſima eſſe debeant, ſi quis cauſam huius colicae cognoſcere velit; nam ex dolore ipſo et decurſu morbi etiam in hac ſpecie ſaepiſſime parum certi ratione cauſae praeſentis determinari poterit, quoniam magna hic obtinet varietas. Plerumque tamen dolores fugaces ſunt, nunc pungentes, a loco in locum ſerpentes, cum ſubſultu in abdomine et ſine alui adſtrictione. Potiſſimum etiam haec colica certe ſub initio magis moleſta, et patientiam aegroti magis labefactans deprehenditur, quam periculoſa; exitioſa vero redditur, ſi vel repentina exoritur inflammatio, vel con-

u) Cuius generis notabile exemplum adducit FABRICIVS HILDANVS Centur. I. Obſerv. 75.

w) Obſſ. de vermibus in lepra obuiis et de lumbricorum ſetis. p. 65.

x) Cent. I. Obſ. 57. et 59.

y) Ann. med. II. p. 228.

conuulſiones in aliis partibus, quin etiam motus epileptici, accedunt, quae ſymptomata in infantibus, eminente ſenſibilitate et irritabilitate praeditis, non raro obſeruata ſunt. Interdum ileum etiam excitare ſolent, quare etiam Ill. SAVVAGES adductus eſt, verminoſum conſtituere ileum, cuius ſupra mentionem fecimus.

§. XLVIII.

XXIII. *Colica pituitoſa.*

Quemadmodum ex defectu muci inteſtinalis, qui, ſicuti in praecedentibus dictum eſt, ex diuerſis cauſſis oriri poteſt, valde atroces colicae ſubinde affligunt, quoniam maxime ſenſilia inteſtina, praeſidio ſuo orbata, irritamentis cunctis exponuntur, ita vt Cel. GRASHVIS non dubitauerit, has colicae Pictonum nomine inſignire; ſic etiam quandoque nimia huius muci copia, coniuncta cum peruerſa qualitate illius, aeque graues colicas inducit. Iſtae a SEVERINO primum detectae, vulgo vero PEYERI aut BRVNNERI nomine inſignitae glandulae muciparae inteſtinorum, vel mucum bonae quidem indolis, ſed nimia quantitate ſecernunt, qui nunc quidem, quoniam a quacunque irritamento inteſtina tuetur, motum periſtalticum debilitat, et hac re ſpiſſior redditur, magisque accumulatur; vel etiam ſanguis ipſe iam ſpiſſus ac viſcidus efficit, vt mucum naturali longe tenaciorem et magis glutinoſum ſecernant, qui ſtatim tam firmiter adhaeret, vt cibi transeuntes eum nequaquam auferre valeant, adeoque anſa ipſi detur, magis magisque ſe accumulandi, et tandem aptus reddatur, ad colicam excitandam. Talis priori, vel poſteriori modo accumulatus mucus duplici nempe ratione colicam inferre poteſt. Vel enim id efficit, quia acrimonia quadam gaudet, quam partim mora acquiſiuit, partim iam ex ſanguine vitioſo contraxit, quo in poſteriori autem caſu ob motum periſtalticum ſtatim ab initio auctum ipſe impeditur, quo minus ſe accumulet, niſi vna valde tenax ſit, aut a ſpaſmis retardetur; vel etiam nimia ſolummodo accumulata ſua quantitate hunc dolorem conciliat. Nam eiusmodi tenax mucus, etiamſi ſine omni acrimonia ſit, efficit, quod Cel. GESNER z) obiectioni PVRCELLI optime op-

z) l. c. in not. p. 22.

opponit, vehementes, inaequales et irregulares extenſiones et contractiones, ideoque dolores, ſi, in globum quaſi congeſtus, vel inteſtini lumen obturet, vel tota ſua mole in ſubiectam modo partem inteſtini agat. Exemplum huius generis de ſe ipſo tradidit GALENVS; a) quaedam alia collegit PVRCELL; nec non inueniuntur quaedam in libris STALPART VAN DER WIEL b) et RIVERII, c) nec alibi haec rara ſunt. Quandoque iſta congeſtio eo procedit, vt inteſtina, inprimis colon vno in loco plane obſtruantur, et ileus ſumme exitialis inde oriatur, et eiusmodi in BONETI ſepulchreto occurrens caſus commouit SAVVAGESIVM, vt ileum a colo pituita infarcto ſtatueret. Haec ſpecies praeſertim cognoſcitur ſpontanea aut arte producta excretione talis tenacis, gelatinoſae, et quaſi vitreae pituitae, quae quandoque forma maiorum glomerum, pugnum vnum duosue aequantium, excernitur, immo tractus longos refert, ac ſi interioris tunicae inteſtinorum fruſta eſſent, cuius generis ſpecimen ANT. DE HAEN aliquando vidit et ſeruauit, quod in collegio practico monſtrare aſſueuerat. Dolor ipſe differt. Grauans quippe cum frigoris ſenſu, fixus et continuus notari ſolet, ſi nulla praeſto eſt acrimonia, et pondus maſſae huius nimium nondum ſpaſmos excitauit atrociores, qui nempe conſequentur, ſi vel preſſio ſit nimis vehemens, vel tranſitum pituita impediat; tunc enim teſte GALENO ita ſe manifeſtat, ac ſi terebra vel palo infixo pars inteſtinorum, cui inhaeret, perforetur. Plerumque haec ſpecies valde pertinax eſt, et ipſam in ileum adeo tranſire poſſe, ſupra iam retuli.

§. XLIX.

XXIV. Colica ſtercorea.

Scybala coarceruata, exſiccata, nimis indurata et quaſi peruſta ſtimulum ſiſtunt, et materialem huius ſpeciei cauſam. Cum quaeuis nimis longa mora fecum, in hanc ſpeciem colicae tandem tranſire poſ-

 ſit,

a) de loc. affect. Lib. II. cap. 2.

b) Obſ. 42.

c) Cent. I. Obſ. 67.

ſit, facile perſpicitur, hanc colicam inſignem numerum cauſarum praediſponentium agnoſcere, quae vero omnes in eo conueniunt, quod vel inprimis motum periſtalticum debilitent, vbi certe feces deinde colligentur ac ſicceſcent, vel praeſertim ſiccitatem inteſtinis concilient, vnde neceſſario feces citius ſiccitatem contrahent. Sic enim languor inteſtinorum et inprimis deficiens bilis ſtimulus feces ſiſtit argillaceas, tenaces et immobiles; porro neglectus vel ſtudio coercitus ad euacuationem aluinam diſponens ſtimulus naturalis, vita ſedentaria, alimenta viſcida et ſicca, defectus potus, ſudores nimii ex vigiliis crebrioribus, vehementiori motu, ab vſu diaphoreticorum, ſeu calore tandem cuiuscunque febris eliciti, et inteſtinorum exhalationem turbantes, abuſus demum medicamentorum aloeticorum, vel draſticorum purgantium, et alia plura, inprimis ea, quae ſpaſmum excitant, huc referri merentur. Coalitus etiam inteſtinorum inter ſe cauſa praediſponens exiſtit, quoniam motus periſtalticus in ea parte plane infringitur. Inde vltro quisque coniiciet, fere plerasque ſupra memoratarum ſpecierum colicae in progreſſu ſuo hac comite ſtipatum iri; et ſi quis altera ex parte modum agendi ſcybalorum induratorum ſpectet, ſi primariam materialem cauſam colicae ſiſtunt, facile perſpiciet, hanc ſpeciem perinde alias inferre poſſe, et in progreſſu neceſſario excitare debere. Accumulata ſcilicet et indurata ſcybala non modo inteſtinum praeter naturam diſtendunt, vel premunt certe eius parietes, commouent inde ſpaſmos, turbant circulationem et ſanguinis efficiunt regurgitationem verſus alias inteſtini partes; ſed muco etiam affluenti et inprimis flatibus obicem ponendo efficiunt, vt is acris fiat, ac nouos concitet ſpaſmos, hi autem obſtructionis inprimis loco colligantur, et colicam flatulentam inferant. Verum etiam in loca alia, vti HVXHAM *d*) eximie docuit, horum effectus extenduntur. "Excrementa enim, inquit, calore longaque retentione indurata, et in colon et rectum intruſa inferiorem aortae partem, vaſa iliaca, veſicaeque collum comprimunt, liberiorem ſanguinis deſcenſum ad partes inferiores impediunt, vnde caput et pectus eo obruuntur, et aeſtus, capitis dolor, nauſea et pondus ventriculi, magna demum irrequies aut ſtupor producitur: porro iis ſupprimitur vrina, neque flatus, neque fe-

d) l. c. T. II. p. 145.

feces, neque aqua prius euacuari poſſunt, quam excrementa indurata mollita, et inteſtina relaxata, lubricata atque ad eorum munus conueniente clyſmate fuerint irritata."

§. L.
Continuatio.

Quod diagnoſin huius ſpeciei reſpicit, alui iam ex aliquo tempore praegreſſo nimis ſemper retardata deiectio, ac nigrorum quidem ſcybalorum, et nunc plenaria eius apparens conſtipatio cum dolore colico, frequentiore inprimis, ſed fruſtranea alui deponendae comitata incitatione, patens denique talis fecum indurationis cauſſa, omnem fere paginam abſoluunt. Tumor praeterea glomeris inſtar durus non raro tactu explorari poterit, in ea coli praeſertim parte, vbi moles ſtercorea haeret. Dolorem ſcybala indurata in initio excitant ponderoſum tantum et grauatiuum. In progreſſu vero, vbi partim acria fiunt, partim mucum ab inteſtinis abradunt, partim inflammationem inducunt, et propter impeditum tranſitum flatus etiam inteſtina diſtendunt, dolorem reddunt magis acutum et rebellem, immo colicam in ileum commutant. Denique et colicae meconialis hic iniicienda mentio. Cum enim ſecundum ea, quae ieci, diuiſionis fundamenta ad aetatem aut alias rationes reſpici non poſſit, facile intelligitur, huic ſpeciei illam eſſe adiungendam. Nihil vero hic amplius adiiciam, cum ex libro b. ROSENSTEIN de infantum morbis nunc quidem ſit notiſſima. Eximie quoque et copioſe eam tradidit LANGGVTH *e*). Iterum tandem huc etiam referri poſſet ileus imperforatorum, a collecto perinde excitatus meconio, niſi cauſſa pariter, ac curatio praecipua ad rectum pertinerent inteſtinum.

§. LI.
XXV. Colica flatulenta.

Hanc ſpeciem aliis ſaepenumero ſe poſſe adiungere, ex ſupra dictis abunde patet, et haud difficulter explicari poteſt. De hoc vero caſu

e) In diſſ. iam citata, §. 37-40.

caſu nunc quidem non loquimur, ſed tantummodo de iſto, vbi nimia quantitas aeris, vinculis ſuis liberati, prima materialis cauſſa doloris colici exiſtit. Phaenomenon iſtud oritur ex ingeſtis omnis generis alimentis, ad ſuſcipiendam ſubitaneam fermentationem facillime diſpoſitis. Magnum horum numerum hic poſſem adiicere, niſi ex diaeteticis ſatis nota eſſent, et dudum ante me fere ab omnibus, qui de colica diſſeruerunt, fuſe tradita eſſent. Praeter iſtud, quod eiusmodi in diaeta vitium admiſſum oppido liquet, ſatis ſe prodit propriis ſymptomatibus, e quibus ſequentia maxime ſunt conſtantia: magna, tenſa, elaſtica, ſiue vniuerſalis, ſiue partialis abdominis expanſio, quae renitens eſt, ſed ſine grauitatis ſenſu; ſimul praeſto eſt magna et conſtans ructus elidendi cupiditas, quae vero irrita eſt, ſed aegrum valde leuat, quotiescunque ructus emittitur. Nam licet multa alia ſigna et ſymptomata in hac ſpecie occurrant, cenſeo tamen, me haec modo ceu conſtantia et omnibus accommodata caſibus nominare poſſe. Reliqua ſcilicet ad binos ordines inferiores pertinent, qui vti mea fert ſententia, hic debent conſtitui, licet nemo adhuc horum mentionem fecerit. Haec nimirum inteſtinorum expanſio a flatibus, quae quandoque incredibiliter increſcit, vti quaedam a RVYSCHIO et BONETO relata exempla docent, vel vniuerſalis eſt, vel partialis. In poſteriori caſu morbus fere ita ſe habet.

§. LII.

1. *Colica flatulenta partialis.*

Vellicans dolor in parte quadam abdominis ſentitur, qui valde pertinax eſt, et inprimis in ſiniſtro latere praeter naturam moleſtus eſſe ſolet. Fixus igitur ſpasmus in loco quodam inteſtinorum, qui flatum incluſit, adfligit. Inteſtinum binis locis contractum eſt, et pars eius media diſtenditur. Subinde et alui obſtructio praeſto eſt, ſaepe vero et aluus liquida redditur poſt aſſumta medicamenta, et tamen dolor perdurat. Interdum adeo vomitus oritur feculentus. Sic obſeruauit hunc morbum, nullibi antehac deſcriptum, amantiſſimus ac ſemper et in aeternum mihi venerandus Praeceptor, Illuſtr. RICHTER, et ſic hiſtoriam eiusdem in egregiis ſuis praelectionibus ingenue communi-

municauit. Lubenti animo, quae ipſi ſucceſſit, curationem adiunxiſſem, niſi temporis penuria in reliquis omnibus colicae ſpeciebus modo pathologiae finibus me continere debuiſſem. Veroſimile eſt, aliquam portionem aeris, vinculis ſuis repente liberati, vel etiam deuicto quodam impedimento tam ſubito in adiacentem inteſtini partem tranſiiſſe, vt ſubſequenti curuaturae ſiue plicae inteſtini defuerit tempus, explicandi ſeſe et liberum flatui concedendi tranſitum, ſed e contrario repentina expanſione ſupra poſitae partis firmius claudatur, et ſpaſtice contrahatur, quod aeque in iſto paulo ante tanta vi aperto et irritato loco fieri debet. Sic ſibi ſponte praecludens viam, egreſſum liberum intercipit aer, et continua maiori rarefactione trepani inſtar afficit, quam occupat, inteſtini partem. Huc commode etiam iſtum a RVYSCHIO *f*) relatum caſum referre poſſumus, vbi tympanitica expanſio proceſſus vermiformis ileum excitauit.

§. LIII.

2. *Colica flatulenta vniuerſalis.*

Frequentius occurrit, faciliusque cognoſci poterit caſus, ſi hi accumulati flatus fere totum tubum inteſtinalem vna expandunt, vel libere certe hunc peruagantur, licet exitus ſurſum et deorſum denegatus ſit. Dolor vehemens vellicans modo hinc modo illinc percipitur. Si in parte quadam remittit, borborygmi audiuntur. Abdomen tympani inſtar expanſum eſt, interdum tantopere, vt ne minimum quidem attactum, ne linteaminis quidem ſtragulorum perferre poſſit, immo, vt herniae oriantur. Continuum conamen ructus et flatus elidendi, ſed ſuos carceres hi relinquere recuſant; quodſi vero flatus vel ſurſum vel deorſum expellitur, non parum leuaminis aegrotus ſentit. Plerumque alui obſtructio pertinax, anxietates ſummae praecordiorum, irrequies, difficilis reſpiratio, facies rubra, candens, pulſus paruus, ſpaſtice contractus, vti in omnibus morbis abdominalibus, frigus in extremitatibus, cardiogmos, quin etiam inanes conatus vomendi vexant, quae quidem cuncta ſymptomata quisque facile ſibi explicare poterit. Interdum

f) Obſ. anat. chir. XCII. Similis caſus deſcriptus in Nov. Act. Nat. Cur. T. I. Obſ. LXXI.

dum abdomen aequaliter expanſum eſt, nonnunquam hinc et illinc nodi vel tumores duri ſentiuntur. Quodſi morbus diu affligit, ſpecies quaedam icteri oriri ſolet, vti et in aliis ſpeciebus colicae; hoc a ſpasmis in duodeno naſci videtur. Diuturna etiam expanſio huius inteſtini ductum choledochum intra tunicas ſuas aliquantulum decurrentem comprimet, et eius orificium claudet. Anxietates porro et dolores ſaepe ad animi vsque deliquia augentur. Febris abeſſe ſolet. Quoad prognoſin flatulenta colica fere omnium reliquarum ſpecierum tutiſſima eſt, ſi ſcilicet iuſto tempore idonea morbo opponuntur remedia. Contraria ex parte ſaepiuſcule relinquit morbos chronicos, conuulſionem, choleram ſiccam, ac praeſertim tympanitem. Caetera, ſemper dispoſitionem ad nouos huius generis inſultus creat.

§. LIV.
Colicae ſpuriae.

Progredior nunc ad quasdam inteſtinorum affectiones, quae et numero et varietate hactenus enarratas longe ſuperant, quae quidem etiam dolores colici appellandae ſunt, quoniam et hic ſpaſticus inteſtinorum dolor praeſto eſt, ab illis autem prorſus tamen ſeparari debent. Verae et exquiſitae colicae, vti ſupra expoſuimus, omnes illae dicendae ſunt, vbi cauſſa materialis huius doloris ſpaſtici in ipſis inteſtinis haeret, ſiue in iſtorum tunicis, ſiue cauitate; et praeſertim ſecundo, vbi princeps et radicalis curatio huius doloris ipſis inteſtinis accommodari debet, et vbi hunc dolorem poſſumus tollere, nec morbum alius partis vna oppugnare debemus, nec iſte vna tollatur, vel certe alteretur oportet, qui huic dolori in quibusdam caſibus remotius anſam praebuit. Sic colica arthritica et podagrica profligari ac tolli poterit, neque tamen podagra et arthritis vna tolletur. Pari modo regurgitationem ſanguinis ab haemorrhoidibus et menſibus ſuppreſſis infringere, quin ipſam tollere poterimus, nec eorum tamen fluxum ſimul quoque reſtituiſſemus oportet. Sed dicet forſan aliquis, num etiam colica ſcorbutica tolli poterit, praeterquam vna morbus totus profligetur, ac ipſe tollatur? Verum eſt, notionem hic difficillime defendi poſſe. Interea hac obiectione nequaquam iſta refellitur. Nam et in hac colica materia-

rialem in ipſis inteſtinis haerentem cauſſam praeſto eſſe, ſupra iam retulimus. Itaque haec modo obiecta quaeſtio refellenda venit, eamque ipſam affirmo. Difficultas omnis inde modo naſcitur, quod, excepta aëris mutatione, hunc morbum terribilem, vti et omnes fere morbos vniuerſales et internos corporis humani, praeſertim ope ſuccum nutritium conficientis, et reſorbentis functionis inteſtinorum oppugnemus, quia haec, niſi vnica, certe princeps et vſitatiſſima via eſt, qua medicamentorum vires in ſanguinem, huius corrigendi cauſſa, perducimus. Haec autem medicamenta tanquam antiſcorbutica in vniuerſum ſolummodo ſpectantur, nec in ſpecie ceu eiusmodi conſiderantur remedia, quae colicam ſcorbuticam poſſent tollere. Verum ſine dubio primum effectum haec in inteſtinis exſerunt. Veroſimillimum igitur eſt, hanc colicam ſemper primo ſublatum iri, multis certe exemplis hoc confirmare poſſem. Eodem modo et vires corticis Peruuiani explicat in morbis periodicis Ill. MEDICVS *g*). Colica igitur, quae a ſingulari quadam in inteſtinis ſita cauſſa oriebatur, ſublata eſt. Num vero ſublato hoc accedente morbo omnis ſcorbutus profligatus eſt? Minime. Vlterior vſus horum remediorum requiritur, donec effectus eorum in toto corpore notentur. Niſi hoc fit, colica etiam reuertatur, neceſſe eſt; et breui reuertetur, quoniam aſſimilatio putrida ſanguinis celeriter diffunditur. Verum haec altera colica eſt, quam inter et priorem nexus nullus deprehenditur. Iſta ſemel profligata erat. Aeque celeriter colica flatulenta reuertetur, ſi aegrotus poſt prioris medelam ſtatim vitia, in diaeta commiſſa, iterum admittit.

§. LV.

Continuatio.

Colicae ſpuriae, quae ſaepe etiam in ileum tranſeunt, omnes igitur iſtae nuncupandae ſunt, quae ſine materia, ideoque mere conſenſuales ſunt, et vbi neceſſario curatio princeps et radicalis non inteſtinis ipſis accommodatur, ſed morbo modo primario. Alius a dolore colico plane diuerſus morbus hic indicationem exigit cauſſalem, ille modo pallia-

g) l. c. §. 95.

palliatiuam. Progredior itaque ad diuerſas harum ſpecies, niſi quis omnes ac ſingulas in vnum corpus colligere, et pro vna omnes ſpecie habere, ac differentes ipſas, varietates modo appellare velit. Hoc loco vero ob temporis penuriam nomina modo recenſere poſſum, et inſuper tota haec tractatio huc non amplius pertinet. Nomina a morbo primario deſumta, explicatione vlteriori non egent, v. c. hyſterica. Iſta, quae a vicino quodam viſcere, aut alia parte ortum ducunt, omnes adfectiones et quaeuis vitia iſtarum partium comprehendunt, quae conſenſus lege colicam excitare valent, cuius generis ſunt obſtructiones, ſpasmi, vulnera, inflammatio, abſceſſus, vlcera, calculi, ſcirrhi, cancer, polypi, tumores frigidi, hydrops ſaccatus, oſſificationes, ſitus iniquus vitioſus, coalitus morboſus inter ſe inuicem, et cum ipſis inteſtinis, mala conformatio etc. De diagnoſi ſupra iam dictum eſt. Nomina haec fere ſunt: I. *Colica a dentitione difficili.* II. *Col. gaſtrica.* Huc etiam referri poterit colica, a gaſtrodynia xiphoideali demum quoque oboriens. III. *Col. ſplenica.* IV. *Col. hepatica.* Huc non modo ſpectant quaeuis vitia hepatis, ſed etiam veſicae felleae, et ductuum biliferorum. V. *Col. omentalis.* Praeter alia facile cognoſcenda et notiora vitia, hic mentionem modo iniicere liceat defectus omenti, et conſtrictionis inteſtini ab eodem. VI. *Col. pancreatica.* VII. *Col. meſenterica.* VIII. *Col. nephritica*, cui etiam vreterica et veſicalis annumerari poſſunt. IX. *Col. pulſatilis.* Vid. *Sauuages.* X. *Col. a vitiis vertebrarum lumborum et oſſium peluis* v. c. conquaſſatio, inflammatio, caries, contorſio etc. XI. *Col. vterina.* Vitia vteri, ouariorum, tubarum et vaginae huc pertinent. Praeſertim hic memoranda eſt colica grauidarum, et ea, quae molimina menſium comitatur. XII. *Col. a vitiis inteſtini recti.* Huc referri debet ileus imperforatorum, vti et colica, quae molimina haemorrhoidum comitatur. XIII. *Col. hyſterica.* XIV. *Col. hypochondriaca.* Niſi quis ſingularem ſyſtematis nervoſi peruerſam conditionem hic ſtatuere velit, vti in malo hyſterico, a quo tamen diuerſa eſſe deberet, facile ad hoc nomen perferri poſſunt omnes conſenſuales et mere ſpaſticae colicae, quae ab obſtructionibus omnium viſcerum chylopoeticorum collectim, et inde oriundis ſpasmis deriuari debent. XV. *Col.* a vulnere aliisque vitiis *muſculorum abdominalium et peritonaei.* XVI. *Col. enterocelica.* XVII. *Col. ab aqua*

aſci-

aſcitica, *vel vrina*, quae in cauo abdominis collecta eſt. Vid. *Morgagni* 34. Epiſt. — Hi, quantum ego quidem ſcio, omnes caſus ſunt colicae ſpuriae, qui vnquam notati ſunt, certe difficile non erit, caſus iſtos, qui me latuere, vt et eos, qui in poſterum obſeruabuntur, ſecundum diuiſionis fundamentum ad ſuum quemque locum reducere. — CAROL. PISONIS ſententiam de colica, ſedem doloris in peritonaeo collocandam, cauſſam vero in cerebro, quam colluiem ſeroſem habet, nunc quidem ſilentio tranſeo, cum veritati non ſatis conſentanea, licet valde ſubtilis acutaque ſit. Neque etiam ſingularem ab ipſo deſcriptum, ſed minus recte explicatum caſum, *h*) ceu colicae ſpuriae ſpeciem hic referre placet, cum mihi veroſimillimum videatur, dolorem non proprie in inteſtinis haeſiſſe, quia haec integra et plane inculpata reperta fuere, quod quidem in dolore per quadraginta dies durante, immo mortem inferente, obtinere non potuiſſet, tunc adeo, ſi iſta, quam refert, cauſſa re vera arguenda fuiſſet. Praeterea Auctor plane non retulit, quomodo reliqua in abdomine viſcera comparata fuerint. Ac fieri quoque potuit, vt aeger ſub fere plane deſtructo cerebro ſenſum doloris in aliam et incolumem quidem partem transtulerit. Denique, numne tetanus quandoque a leuiori et haud memorabili vulnere oriri ſolet, a cauſſa quippe, quam, ſi in internis corporis partibus haereret, nemo facile detegeret? Anne et in hoc caſu ſimile quid notari potuiſſet, et modo morbi cauſſa et effectus confundi? — Similiter paucis modo attingere lubet WILLISII ſententiam *i*) de colica, cum omnia, quae in hypotheſi ſua veritati ſint conſentanea, veriſſima aſſumſi, dum ſcilicet colicam ſpuriam meſentericam poſui. Omnium vero colicarum ſedem in meſenterio ponendam eſſe, hasque ſemper a deſcenſu materiae cuiusdam per neruos ad meſenterium oriri, nemo facile noſtro quidem tempore concedet. — Quodſi quis vtramque hypotheſin refutatam velit legere PVRCELLVM *k*) adeat, Cel. GESNERVM *l*), et Clar. M. REYE *m*).

 §. LVI.

h) l. c. Sect. IV. Cap. II. Obſ. XCIII.

i) Vid. Tract. de Anima brutor. P. II. Cap. XV. p. 320. ſeq.

k) l. c. Sect. I.

l) l. c. p. 16. ſeq.

m) Vid. Ei. Diſſ. de dolore colico. Goetting. 1769.

§. LVI.
Continuatio.

Verſanti mihi nunc quidem in libelli fine, coronidis loco, vti huius, ita et totius argumenti, liceat exemplo plane ſingulari diuturnae, horribilis ac mortiferae tandem colicae, quod HVXHAMVS *n*) in epiſtola ad IAC. JURIN de morbo colico ſingulari memoriae prodidit, declarare, harum ſpecierum colicae plures quoque coniunctas et copulatas interdum reperiri, et ſic diagnoſin pariter, ac medelam difficillimam, quin etiam impoſſibilem reddere. Omnibus, quae ad hiſtoriam morbi, nec non adhibitorum remediorum faciunt, enarratis, hic naturae ſagaciſſimus indagator: " Aperto, inquit, abdomine perſpeximus omentum conſumtum plane et putridum, hepar praetumidum et ſcirrhoſis tuberculis, ſubalbidis, duris refertum: veſiculam felleam bile ſubnigra ſemiplenam; totum duodenum cum vicina coli parte eodem colore perfuſum: pancreas maxime ſcirrhoſum: mediam ilei partem ad quinque fere digitos inflammatam et ferme liuidam. Renes erant ſani ſatis, nec glandulae meſentericae aeque ſcirrhoſae ac expectaſſemus. At, quod maxime notandum, pars coli inteſtini ſuprema, quam veteres coecum nominarunt perperam (cum id potius eiusdem appendici, ab iisdem ita nominatae, conueniat) in hocce cadauere non, quod aſſolet, reni dextro, ſeu potius internae peritonaei laminae renem contegenti, adnexa fuit, mediante appendice vermiculari, ſed in peluim delapſa tres circiter infra Tulpii valuulam digitos cum ſuperiore parte inteſtini recti firmiſſime concreuerat: porro leuius adhaeſit peritonaei tunicae ſuper veſicam vrinariam expanſae, ſurſum inde reflexa, faciens cum ſuperiore inteſtini parte (ſi ita dicam) angulum valde acutum, ſub cauo dein hepatis aſcendens et infra ventriculi fundum porrecta deſcendebat more ſolito et in rectum deſinebat. Cum primum autem notauimus, ambo inteſtina et ſupra infraque adhaeſionem gangraena affecta eſſe, ſuſpicantes hic latuiſſe fundamenta malorum, caute admodum lente proceſſimus ſcalpello in primis aperiendo rectum inteſtinum, quod vbi factum, vidimus internam tunicam ſphacelatam omni-

n) l. c. T. III. Opuſc. VI. p. 46.

omnino, nigram, quaſi atramento imbutam et maxime putridam; huic porro adhaerentes ſex, ſeptemue carunculas ſubnigras, fungoſas, quarum minores magnitudine nucem auellanam aequabant. Perſcrutantes vlterius, vlcus percepimus ex hoc inteſtino in colon, vbi cohaerebant, penetrans, digito medioeri facili patens: inteſtina vero adeo putrida, vt vix tactum ferrent leuiorem. Maiorem coli partem excrementis induratis obſeruauimus infartam, etſi plures liquidas alui deiectiones habuit, paulo ante mortem; tenuioribus nempe directe in inteſtinum rectum per vlceratum orificium transeuntibus; ſolidioribus autem in colo reſtantibus. Veſica vrinaria fuit flaccida valde, intusque muco ſubrufo oblita".

THE-

THESES.

I. *Cohobatio aquarum ſtillatitiarum ſuperflua eſt.*

II. *Salia alcalina fixa vegetabilium, nec non ſal tartari mera educta ſunt.*

III. *In angina membranacea ſubinde inſtituenda eſt bronchotomia.*

IV. *Origo membranae huius haud a muco deriuanda.*

V. *Bilem cauſticam phrenitidis ac paraphrenitidis cauſſam ſemper arguendam eſſe, ſtatuo.*

VI. *Moſchus in ſtadio aſſimilationis, ſiue primo variolarum optime conducere videtur.*

VII. *Venae ſectionem et in apoplexia ſeroſa princeps habeo auxilium.*

VIII. *Empyematis operatio omnino quoque in hydrope pectoris inſtituenda eſt.*

IX. *Ex ſpaſmo inflatiuo vera oritur tympanites.*